

H. Russ.

72

Hist. Russ.

72

~~Hilf. Moscov. 16.~~

~~H. Prof. 24.~~

DISCUSSIO  
RIMIN A-  
TIONUM,

Quibus  
Ufus est  
MOSCORUM CZARUS,

Cum bello Svecis, contra jusjurandum, & nuperrime da-  
tam fidem, illato prae-textum quaereret,

ANNO MDCCI.



STADÆ,  
Typis CASPARI HOLWEINI,

Cicero de legibus:

*Pœna divina perjurii, exitium: humana, dedecus est.*

Belizarius apud Procopium:

*Turpe est cum aliis omnibus, quibus vel minima virtus est cordi, tum  
Principi viro, mentiri ac fidem fallere: iusjurandum autem, & pa-  
cta etiam scripto sancita, violare, ne abjectissimo quidem homini  
decorum esse arbitror.*





**N**on illis, qui rerum superiori memoriâ gestarum aliquam habent notitiam, novi quidquam, aut inopinati hodie obveniet, cum audiverint Moscos nulla injuriâ lacefitos, insidiosum Svecis bellum intulisse, inque eo sævitiam tantam, quantam nulla in barbariâ quisquam adhibuisse legitur, in tecta hominesque effudisse: magis fortasse mirum videbitur, fuisse Svecos ista animi fidentiâ, ut quorum fraudibus toties decepti fuissent, eos aut innocentiam suam, aut pactorum sanctitate a consueta libidine revocari posse crediderint. Tot enim ab eo tempore, quo, subjugatis finitimis populis, ad Sueciæ viciniam dominatum suum protulerant, inconstantiam documenta dederunt, ut causam non haberent Sveci multum fiduciæ in eorum amicitiam collocandi. Nam postquam interjectas regiones, æstuantis instar Oceani, absorpserant, cum isti hic impetum suum tenuissent, & quasi aggere coerceri, ne immensa ferarum gentium eluvione contiguas Septentrionis partes inundarent; quò in majorem virtutem inciderant, eò vehementius exarsisse deprehensi sunt, & implacabile adeo in Svecos odium concepisse, ut nocendi illis occasionem prætermiserint nullam, & quos armis diffiderent, eorum fortunam dolis subruere semper laboraverint. Quamvis autem fortissime repressi, tot suorum strages, quot cum Svecis conflictus, numerare potuerint; & proinde non cupide minus pacem redintegraverint, quam eandem paulo ante temere infregerant: ut primum tamen occasio invitavit, quasi abolita veterum cladum memoriâ, Svecos aliis bellis occupatos à tergo invadere, aut, si major horum fortuna videretur, quam ut palam adoriri eos sustinerent, ostentatis ad limitem armatis legionibus, progressus eorum inhibere nunquam desierant. Equidem hæc levitas monere Svecos debuerat, ne solennibus pactis, quæ toties conculcata viderant, suæ putarent securitati satis esse consultum: verum hi virtute sua confidentes, maluerunt, fœdera integerrime servando, Moscos omnem simultatis ansam adimere, quam minimam diffidentiam suspicionem præbere, atque adeo benevolentia & humanitate mitigare eos, cum quibus colluctari inglorium existimaverunt. Non paucis etiam persuasum erat, Czarum, qui hodie imperat, instituta per celebriora Europæ regna peregrinatione, abolevisse non nihil veteres mores; non immerito ad civilis vitæ rationem tanto propius accessisse creditus, quanto cupidius exterorum commercia visus erat appetere. Atque idem cum Svecis non tantum vetera pacta renovaverat, sed etiam ingens ubique præ se tulerat desiderium cum illis constanter amicitiam colendi. Quod ambitiosis verbis, quæ publice, quæ privatim, testatus est. Verum quam longe omnium opinionem fefelleret, eventus nuper docuit, cum immemor fidei & jurisjurandi, immanium agminum mole in Sueciæ fines infusâ, Narvam prius arcta obsidione cingeret, quam quisquam adfore hostem suspicaretur. Quam vero horrenda & varia in omni sexus & ætatis mortales sævitiam genera ediderat, si commemoraretur, licet illa nemini non, qui communem homi-

num naturam reputabit, magnum & acerbum dolorem commoverent: præstiterit tamen illa silentio involvere, quam mites Christianorum aures tam fœdis exemplis imbuere, quæ ipsius humanitatis excidium docere possent.

Quapropter ut orbi Christiano manifestetur, quam nefariis artibus ad circumveniendos Svecos jam usus sit Moscus, & quam nihil pensi habuerit, fœdera, promissa, jusjurandum, & quicquid sancti inter gentes esse debet, profanare, & suæ postponere libidini; seriem totius rei explicare, atque ante oculos expositam intueri, necesse est. Perpetuum erat inter utrumque regnum fœdus, quod cum Alexius, Moscorum Czarus, parens hujus, qui rerum hodie potitur, anno MDCLVI, rupisset; pax iterum, anno MDCLXI, in pago Cardisiæ convenerat iis conditionibus, ut vetera pacta facta rectaque manerent, nec propterea rescindenda, si res aliquæ in controversiam postmodo venirent. (A.) Has enim præfecti Provinciarum prope limitem regni, more veteri cognoscerent atque dijudicarent: aut si majoris hæ momenti viderentur, quam ut ab iis dirimi possent, missi ab utroque Principe ad limitem legati, sine cunctatione controversias omnes tollerent atque sedarent. Hanc pacem Petrus Alexides, cum imperium nactus esset, anno MDCLXXXIV, verbis in sancta Evangelia conceptis, & osculo sacræ crucis, quod religiosissimum Moscis jusjurandum est, confirmavit; & superiori anno, cum ex legibus fœderis tuos in Moscoviam legatos S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Majestas Sveciæ misisset, solennibus verbis renovavit: (B.) non alio, ut videtur, fine, nisi ut, cum pacem bis sanctissimis ceremoniis firmatam violasset, geminato etiam flagitio se obstringeret. Sed quasi metueret, non fatis fuisse ad fallendos Svecos, religione fœderum abuti; quo magis horum animos à metu insidiarum averteret, nullas non blanditias artesque, quibus subdolæ mentes valent, adhibere non dubitavit. Proinde præterita æstate Gilcovium è primaria nobilitate in Sveciam misit, qui magnos legatos brevi adfuturos indicaret, fidem à S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Majestate pro confirmando fœdere accepturos: se vero, dum isti se itineri accingerent, præmissum, ut Regem de Czari benevolentiam constantique amicitiam certiores faceret, & ad aulam Svecicam ordinarius posthac maneret. (C.) Cum astutus Princeps ne sic quidem consilia sua satis occultari putasset atque ad Svecorum aures emanasse aliquid percipisset, quod impedimento suis esset molitionibus, ministrum Svecicum, qui Moscuæ degebat, domi suæ sponte convenit, omnique asseveratione ei affirmat, se amicitiam cum S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Majestate Sveciæ illibatam conservaturum: blandis etiam verbis increpans, quod majorem suis promissis fidem non haberet, quam ut crederet se, violato fœdere, temerarium suscepturum esse bellum. (D.) Parem illius in Svecos benevolentiam Artemonides, legatus Moscicus, Hagæ Comitum non una vice declaravit: qui cum in colloquium illustris vir Lillierotii, qui apud Batavos legationem obibat, venisset, infidelitatis suspicionem magno cum dolore sustinere visus est. Czarum ajebat rumu- sculis, qui de hostili ejus in Svecos animo percubissent, vehementer esse commotum; atque agnoscere hic artes malevolorum, qui, perversa Svecis opinione injecta, frigidam suffundere laborant: illum autem in veteri amicitia firmiter persistere, & pro calumniâ habere, quicquid alii suæ adversum intentioni finxerint. Vaser idem ac versipellis homo legatum Sve-

Sve-

Svecicum rogare cœpit, atque obtestari, ne dubitaret in posterum sibi aperire, si rumores ejusmodi, quibus Czari nomen & existimatio læderetur, exciperet, quo condignis statim modis illos coarguere posset, & Principem suum de iisdem certiores facere. Notabile prorsus malitiæ versutiq; exemplum! sed quod tamen ab iis, quæ subjecerat, illustrius fiet: *Czarum enim Principem esse Christianum, qui in solio resideret, splendore atque opibus nulli totius Orbis secundo: illum in tanto fastigio positum, nihil committere velle, quamobrem non tantum ista fortunâ minus existimaretur dignus, sed etiam divinam simul vindictam, quæ injusta bella comitari solet, in se provocaret. Aversari omne indecorum facinus, quod præsens & futura ætas ipsi exprobrare posset. Quod certe tunc futurum noverit, si amico Regi, & nullius injuria comperto, bellum non necessarium inferret. Proinde in animum induxisse, cum Rege Sveciæ fœdera constantiter servare, ut totus Orbis intelligat, illum fidei & promissorum servantissimum.* (E.) Digna profecto Christiano Principe sententia! tanto majorem Czaro Moscoviæ gloriam conciliatura, si in illa permansisset, quanto graviores sua levitas inuffit maculam, cum Svecis etiam suo iudicio innocentibus bellum faceret. Sed ut facinus, quod in Svecos parari noverat, perhorrescere forte se simulabat; ita tristem hujus facinoris exitum animo vere præfagiebat, clademque, quæ mox infecta est, iusta Dei ultione immisissam esse, sua ipsius confessione jam tum comprobabat.

Cum vero de tam propensa in pacem voluntate se actaret Moscus, atque eandem animi firmitudinem ubique testificaretur; non mirum cuiquam videri poterat, si non omnem dictis fidem quis censuisset esse derogandam. Nam & injuriosum videbatur, repetitis toties asseverationibus non accedere, atque odiosis adspargere illum suspicionibus, qui eas tanto studio à se propulsare quærebat. Tum S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Majestas Sveciæ, ex sua animi magnitudine Czarum reputans, ægre sibi persuadere potuit, tantum in Principem cadere potuisse flagitium, ut tam aperte ludificari vellet. Quod si DEum, pollutæ fidei vindicem, minus metueret; famam tamen & hominum iudicia, quæ apud malos plerumque plus valere solent, non nihil formidaret. Accessit his summa ex parte S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Majestatis innocentia, quæ non parum hanc augebat fiduciam. Nam cum nullius injuriæ, quâ læsus fuisset Moscus, sibi conscia esset, & offensiunculam, si quam fortassis Rigæ acceperat, omni diligentia tollere fatageret, non existimabat fœdus eodem anno, quo renovatum erat, tam facile ruptum iri. Quibus omnibus factum est, ut fines Sveciæ, qua latissime Moscoviam contingunt, incustoditi fere & nudi relinquerentur, abductis legionibus versus Livoniam, quam non minori vi, quam perfidia, Rex Polonorum tunc incurfabat; altero etiam exercitu extra regnum constituto, qui Cimbrico dissidio tollendo operam impenderet. Quæ argumento esse possunt, quantum Czari constantiæ tribuisset S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Majestas: quæ cum ab amicis quoque moneretur, insidias ab illo comparari, generoso animo maluerat illius experiri, quam temere damnare fidem, in qua adstruenda tam anxium fuisse eum hætenus compererat. Verum ille commodum advenisse tempus ratus, lethale vulnus Sveciæ infligendi, antequam ex diffitis procul regionibus, mari præsertim procelloso, copiæ trajicerentur, diu meditatam cogitatumque facinus exlequi statuerat. Quod vero incertus

B

adhuc

adhuc belli Turcici exitus sollicitum haberet, in eo credebat cardinem totius rei verti, si Svecos potuisset, specie amicitiae deceptos, in securitatem inducere; Regem autem Poloniae, facta spe celeris auxilii, in caepo infeliciter bello detinere. Itaque eodem tempore deprehensus est miscere cum hoc consilia, quo Svecorum animis adrepere, blandiri & exquisitissima verborum lenocinia admovere sustinuit. Exceptae enim literae (F.) totam scenam detegunt, arguuntque, Czarum non causis nuper confictis motum, in bellum hoc prorupisse, sed illud dudum cum animo suo statutum habuisse. Quod sicut ab eventu alterius belli distulerat; ita postquam habendae cum Turca pacis certa spes affulsit, qua voluntate in Svecos fuisset, non obscure indicavit. Tunc enim constantem benignamque personam, quam metus Turcici belli haecenus ei imposuit, occasio & sua natura detraxit. Sed ne videretur ex ancipiti temporum mutatione pependisse, paulo ante, quam pacificatio haec vulgabatur, minutas quasdam & insipidas querelas, contra luculentas pactorum leges, contraque veterem consuetudinem, non ad Svecos, quorum intererat eas novisse, sed ad Ordines foederati Belgii deferre voluit. Quanquam has querelas non eo animo motas dicebat, ut inde causam belli quaereret; sed ut, Belgis sequentibus, citius haec tollerentur. Servaturum se cum Svecis amicitiam; nec in bello hoc Livoniensi cum Rege Poloniae arma sociaturum. (G.) haec apud foederatos Belgas Legatus ejus jaetabat: haec apud Serenissimum Britanniae Regem etiam tunc profiteri non verebatur, quum infesta prope fines Sveciae castra Czarus haberet. Adeo nullum tempus illi unquam vacabat a simulando, novasque fraudes excogitando: quibus ita deditus erat, ut ne amicos quidem ludere turpe putaret, quo adversarios expeditius falleret.

Quo pacto Moscusc ad bellum hoc progressus sit, vidimus: jam causas, quibus ad illud suscipiendum impulsus fuerit, expendere operae pretium est. Quanam vero istae sint, non promptum adeo est affirmare: siquidem publicum aliquod scriptum, quo jus ac necessitas hujus belli declaratur, Suecis nondum innotuit. Libello, quem Batavis Legatus Moscovicus tradidit, supra dictum est aliquas contineri querelas, sed, ut ille tunc ferebat, non eo fine expositas, ut praetextum inde novorum motuum sumeret Czarus: quoniam tamen idem Legatus, cum illatum Svecis bellum in Bataviam paulo post nunciaret, has potissimum criminum loco objiciebat; apparet jussisse Czarum, ut ex iisdem justitia belli cognosceretur. Ex eo igitur summa accusationis capita recensere lubet, & ad singula deinceps ordine respondere: quo aequus lector incorruptius possit judicare, majorine perfidia, an injustitia, hoc bellum sit conflatum. Primum autem, quod non festivo minus, quam operose, contexitur, crimen est: *Legatos Moscovicos, cum A. MDCXCVII, per Livoniam iter instituerent, contra pacta indigne habitos esse. Fines enim Sveciae ingressis non jumenta ad vecturam praesto fuisse, nec comitatum necessarium suppeditatum. Riga autem non debitis modo honoribus caruisse, sed etiam commodis hospitibus: arctius quoque observatos fuisse, nec ulla re honoris causa donatos. Sed nec pretio quidem pabula equis obtinuisse: & quibuscunque ad victum ipsi eguissent, care nimis venisse. Quin contumelia comites esse affectos, & cum urbem perlustrare vellent, a Praefecto Rigensi aspere compellatos, quasi explorandi causa munimenta circumirent. Trajecturis Dunam vilis navigia data, & nihilominus pro iis, quae subministrata erant, grande paulum exactum*

tum



tum. *Quae injuria, cum in se intolerabiles essent, ex personâ Czari, qui in comitatu erat, graviores non immerito censeri. Cursorum, qui ex itinere in Moscoviam retroverti jussus est, Rigæ diutius detentum fuisse, atque diligentius excussum: equos denique, quibus vectores Moscici usi sunt, vili pretio a mercatoribus Rigensibus coemptos. Alterum est, Procopii Vosnicinii, qui e Turcica legatione in patriam revertebatur, currum pretiosa suppellectile onustum a rusticis Livonis direptum. Tertium ex Græni, Præfecti tabellariorum Rigæ, culpâ resultat, quem in officio suo non integre versatum accusaverat Vinus, Moscua eodem munere fungens, nec tamen obtinuerat, ut ab administratione ista summovertetur. Ultimum est, Moscicis mercatoribus a Svecis nonnullis pecuniam deberi, quæ aureorum aliquot millia conficit.* (H.) Has offensæ causas ab initio Czarus afferebat: neque alio prætextu apud præpotentes Belgii fœderati Ordines, ut supra monitum, usus erat. Nuper autem compertum est, binas alias accessisse: sed quas genius suus facile prodit vel alibi, vel in aula Regis Poloniae Saxonica, tæcunda calumniarum patriâ, conceptas esse. Acutiores enim videri volunt: cum ruditatem Moscicam priores istæ redoleant. Sed de his postea videndum: nunc eodem ordine, quo recitatae sunt, priores consideremus, æqui & prudentis lectoris iudicio permitturi, an bellæ istæ ratiunculæ Czarum à perfidiæ & degeneris flagitii crimine absolvere possint, aut quidquam sanè contineant, quo bellum hoc fiat excusatius.

Ac primum quidem, quod Legatos suos parum honorifice Rigæ exceptos esse criminatur, si putidam quis calumniam appellaverit, quæ Moscorum insolentiam & consuetam in fingendo libidinem coarguat, nihil à veritate alienum, aut in eorum mores iniquum quidquam dixerit. Tralatitium enim est, & omnium, quibus cum illis usus aliquis intercesserat, sermonibus vulgatum, scrupulosiorem absurdiorumque in arrogandis sibi immodicis honoribus toto Orbe nationem non exstare, sive externos Legatos recipiat, sive suos ipsa mittat. Vitæ enim humanioris expers & ignara, omnes alios populos despiciere tantum novit: & cum præter fordes, quo se efferat, domi nihil habeat; foris tamen tantum non adorari cupit. & fastu intolerabili vel exquisitissimos apparatus infra dignitatem suam reputat. Posset id ipsum innumeris exemplis confirmari, quæ risum pariter & stomachum cultiori orbi commoverent, si non aliorum laboribus notata reperirentur; & verendum esset, ne non tam ad diluendas has criminationes, quam ad invidiam adversariis conflandam, adduci illa existimarentur. Unum tamen inter Germanos demonstrare liceat, quem Moscorum mores noscendi cupidus operæ pretium fuerit inspicere. (I.) Quare cum inter omnes constat, qui fando de illis quidquam acceperunt, morbo hoc laborare Moscorum ingenia, non jam novum cuiquam videretur, si officia humanitatis, quæ Rigæ illis exhibita sunt, vanissimæ eorum superbiæ, & insatiabili cupiditati minus suffecissent. Verum, quod mireris, nulla tunc querela audita est. Adeo præstitis sibi honoribus mirifice captos se ferebant, ut concinno apparatu in stuporem fere agerentur. Verum Czarus partim malevolorum instigationibus, partim rebus secundis elatior, cum magno ardore in Svecos stimuletur, nec tamen in illis, quod argueret, quidquam reperiret, hæc cavillationes arripere voluit. Quam vero famæ suæ melius longe consulisset, si affanias hæc perpetuo silentio præterisset! Neque enim decebit aquilam sectari muscas, aut conveniet

Principis fastigio, titulis tot gentium regionumque turgidi, ad minutulas has calumnias dilabi. Quam enim indecorum est, quam regio animo indignum, queri, nulla re legatos ab iis, qui nihil debebant, Rigæ esse donatos? cum tabernariis de paucolorum obulorum pretio rixari: & plebeculæ mercatorum irasci, quod macilentos aliquot & strigosos Moscorum equos, qui nulli usui erant, pluribus numulis mercari noluisse? Puderet certe, si veræ laudis gustum haberet, inter causas belli talia recensere, quæ, etiamsi vera essent, neque impressam nomini suo perfidiæ notam delebunt, neque moto temere bello speciosum saltem colorem inducent. At pactis repugnat, Legatos nulla re honoratos esse. Equidem his, qui non ad S.<sup>m</sup> R.<sup>m</sup> Majestatem Sveciæ, sed ad alios Principes & Respublicas destinati erant, nihil debebatur. Transitum petebant: concessus est. Pactis autem nusquam expressum invenitur, quo apparatu, qua pompa exciperentur: contra disertis verbis cautum, (L.) ne ituri ad externos Legati quidquam ullo nomine exigent, sed suo sumtu per Provincias Svecorum iter facerent: officia tantum humanitatis, quæ amicis præstari solent, illis non denegarentur. Præstita illa abunde sunt. Missi ad fines Livoniæ sunt honorati nobilesque viri, qui Legatos Rigam deducerent: commeatus largiter convectorum erat: rhedarii equi plures, quam opus erat, coacti: quibus uti volebant Mosci, velut sumtibus parcerent, vel quod illis non egerent. Rigam accedentibus obviam effusi Præfecti militares, & flos civitatis, magnifico omnes cultu, quantum opes illius urbis ferebant. Præsidarius miles honoris causa in armis erat: tympanis, buccinis, & reboantium tormentorum fragore circumjecta late resonabant. Hospitia, in suburbio litorali, assignata illis sunt ampla & nitida, quibus alii Moscorum Legati antea usi sunt. Quamdiu ad Urbem morabantur, nihil omissum est, quod ad animos hospitem demulcendos, benevolentiamque testandam, facere credebatur. Honoratissimus quisque domum Legatorum frequentabat: certatim officia deferabat: dona mittebat. Custodia militum data est, quæ turbam summo veret, non ut hospites constringeret. Quod tanto minus, nisi mens sinistra fuisset, reprehendi ab iis par erat, quod eundem Moscuæ observari morem noverint; atque hic sine offensa quemque comitum, quo vellet, & quando, ambulare libere viderint. Quod vero a demetiendo oppido, & situ munimentorum, vagos prohibuisset illustrissimus vir, cui totius Provinciæ & urbis cura demandata est, officio suo convenire quam maxime existimabat, neque juribus hospitii, aut receptæ apud omnes populos consuetudini advertari, qui, ab advenis munitiones limitaneas curiosius perlustrari, nunquam æquo animo tulerint. Si vero quæ ad vitam necessaria erant, carius tunc venierint, non id Rigensium culpâ, sicut criminantur, contigit, sed graviore solito annonâ, quæ Provinciam fertilem, & omnium rerum abundantem, per aliquot annos miserrime afflixerat. Itaque Rigæ nihil acciderat, quod ab amicæ gentis studiis alienum esset: & continuata eadem officia sunt, quoad litem Curoniæ attigerant. Nam & navigia, quibus Dunam trajicerent, summa curâ conquisita sunt, atque talia, qualium istis in locis copia haberi potuit. Nova ædificare, aut aliunde arcessere ista tempestate non licuit. Pro illis autem non alia, quam ex arbitrio conductorum, merces pendebatur. Quod ad cursorem attinet, quem Rigæ fuisse detentum fabulantur, omnium, ad quos viatores Mosci-

Moscici divertere consueverant, testimoniis constat, talem hominem, qualem in libello isti fingunt, in urbe neque visum fuisse, neque nomen ejus auditum. Nihil igitur Moscis causæ erat, quare tam proterve falsa venditarent, & singularem Rigensium humanitatem, quam summis laudibus tunc ornabant, nomine postea carperent criminoso: cum omnia, quæ in eorum potestate erant, & maximo studio apparaverint, & lubentissimis animis obtulerint.

Cum tantam benignitatem sunt experti, qui, aliorum negotiorum causâ, per Livoniam tantum ire perrexerant; quanto justior causa fuerit exprobrandi Moscis suam in Legatos Svecicos, qui ad ipsum Czarum nuper missi erant, inhumanitatem & insolentiam? Ex plurimis, quæ indignissime tunc passi sunt, quædam recensere placet, ut intelligant Mosci, illa vere sibi tribui, quorum alios falso insimulant. Pacta jubent, ut honorifice ad limitem excipiantur, qui ad Czarum ituri sunt, Legati. Missus illis obviam est extremæ insultatus homo, qui haud ipse receptionis formulam recitavit, si ve ingravescentis ætatis infirmitate, si ve imperitiâ literarum, quæ in isto viro summa apparebat. Itaque per vilioris fortis affectum, plane indecore, & mutilatis ignominiosè titulis, salutatio peracta est. Auxit contumeliam Præfectus Novogardiensis, qui, ut ægritudinem Legatis acriorem faceret, urbem intrantibus adjungebat quendam latrocinium, quibus fines Svecicos paulo ante infestaverat, invisum, qui, non decentius, quam prior, munus suum obibat. Idcirco Legati uli rusticitatem hominis, neque alloquio illum dignabantur, sed per scribam, qui forte ad manus erat, responsum edebant. Proficiscentibus de industria mora injecta est, ut iter, quod non multis diebus emetiri potuissent, vix duobus mensibus absolvent; subtracto nunc comætu, nunc jumentis, quæ sarcinis pervehendis necessaria erant. Adversari hæc luculentis pactorum legibus noverant Mosci; (M.) Sed jejunis cavillationibus tunc quidem excusare satis habuerant. Cum Moscuâ haud procul essent, Leo Nariscinius, Bojarus, ut apellant, & Czari avunculus, ad prædium, quâ transirent Legati, occurrens, importune postulabat, ut regium diploma sibi traderent, sibi desideria sua exponerent, responsum simul à se accepturi: causatus Czarum non brevi affuturum; legatos, si se audirent, maturius domum remitti posse. Quam insolentiam cum graviter redarguerent Sveci, indignarenturque tam leviter haberi existimationem Regis sui, qui, pro confirmanda æterna pace, ad Principem gentis istius hanc legationem destinaverat, & proinde fas esse, ut ipsi, non purpuratorum alicui, mandata sua exponerent, pudore quidem confusus, obtulit: cæterum, quod apud Czarum gratiâ plurimum valebat, occasionem nocendi Legatis postea nullam intermisit. Nam quamdiu ejus reditum præstolabantur, ne præberentur debita ex patris lautia, intercessit, coëgitque suis sumptibus vivere, qui difficulter tunc domo adferri poterant. Cum rediisset Czarus, effecit, ut tardius in conspectum illius admitterentur, varias cunctationis causas prætexens, quum constaret Czarum integrum fere mensem in urbe fuisse, non aliis occupationibus, quam privatorum comestationibus distentum. Intellectum autem est, hanc moram ideo esse factam, ut affecti tædio & ignominia legati à proposito desisterent; & Mosci eventum Turcicæ pacificationis specularentur: quasi votis respondisset, non sacra dignitas, non jus gentium Legatos prote-

xisset.

C

xisset, quin sævissima quæque paterentur. Quid animo volutabant Moscici, satis elucebat, cum maligne omnia, quæ pacta exigebant, præstarent; & hospitium Legatis attribuerent vile sordidumque, quod clathris ferreis, & tenebricosis conclavium fornicibus, horrorem teterrimi carceris verius referebat, quam domum Legatistanti Regis dignam. Cum demonstrarent hæc non convenire fœderi, & mutuae amicitiae, quæ cum S<sup>a</sup> R<sup>a</sup> Majestate Czaro intercedebat, vanis & illusoriis, & interdum minacibus quoque verbis excepti sunt. Literæ, quas in Sveciam perferendas publicis tabellariis tradiderant, resignatæ sunt, & sæpius interceptæ: comites nonnulli, quum adiretur Czarus, exclusi, & acerbius habiti. Sed omnes indignitates, quas Moscuæ pertulerant, superat injuria tunc illata, cum Rankius, Præfectus aulae Legatorum, in privato symposio ministrum Brandenburgicum vulnerasset. Quamvis enim Legati, ut primum illis hoc innotuit, Czaro significarent, infelicem hunc fugâ evasisse, & simul peterent, ut repertus illis traderetur, cautione oblata, se in custodia illum habituros, donec læso iatisfieret; nihilominus centuriis aliquot militum obfessa est Legatorum domus, tamque arcte observata, ut neque Legati exire, neque admittere quemquam suorum possent, usque dum extra urbem profugus inveniretur. Huic igitur statim injectæ manus: collum, pedes, manusque catenis onerant, impositumque rustico vehiculo ad unum ab urbe lapidem asportant, quo loco Czarus in reorum suppliciis pascere oculos consuevit; prohibitis omnibus isto in squalore jacentem invisere, aut ulla re allevare: ubi fame ac diurna illuvie, cum ne linteas quidem vestes mutare permissum erat, morbum contraxit, ex quo postea decessit. Equidem, qui tunc aderant, alii exterorum Principum Legati, cum miseris hujus adducti, tum suam vicem reputantes, si libido forte Moscum subiret, Czarus adeunt, communemque injuriam expostulant: verum *immitem animum flectere nequeunt.* Sed nec tacita relinquenda est injuria, qua Legatos S<sup>a</sup> R<sup>a</sup> Majestatis læserat, cum interesset convivio, quod apud ministrum Svecicum institutum erat. Cum rhedam, qua Legatorum unus domum veheretur, famulus interpretis Sveci adduceret, & propter turbam, quæ angustias occupaverat, aditum ægre moliretur, altercatio inter servos orta est: quæ ab assentatore quodam delata, Czari animum adeo efferavit, ut non reverentiâ hospitalis mensæ, nec conspectu Legatorum moveretur, quin gladium è vagina eductum mensæ impingeret, percussurus interpretem, qui à tergo Legatorum adstabat, ni domo se proripuisset. Arguent hæc & similia insignem Moscorum æquitatem, qui sanctimoniam Legationis, communi omnium gentium consensu stabilitam, violare nefas non putarunt, non à Legatorum personis, non à comitibus eorum, injustam vim abstinentes. Qui vero conscii sibi erant, tot atroces injurias Svecis intulisse, qua fronte eisdem futilia quædam crimina objicere poterant, aut queri se læsos esse, qui tot enormia patravissent?

Sed Rigæ majora in honorem Czari, quem in comitatu adfuisse noverant, præstari oportebat. Quanta impudentia est, illis præsentiam istius personæ objectare, quam omni curâ vestigantes, explorare non poterant? Unde enim cognoscerent? An Moscuâ quisquam nunciavit Czarus adfuturum? Atqui silentium ibi capitis periculo sancitum erat. Ad hæc omnes aditus interclusi: sublata literarum commercia; ut nemo cer-

ti quid de Czari protectione nunciare posset, vel auderet. Sed à Legatis postea audiverant: ab iis scilicet, qui præsentiam ejus, tanquam mysterium, miro studio ac solertiâ celarunt, facta mortis comminatione, si quis è comitatu arcanum hoc propalasset. Nihil itaque de Czaro extricari potuit: & majori aliquanto industriâ, aliisque artibus opus erat ad eum deregendum, quam quibus Ulysses olim usus esse traditur, cum Achillem in Scyro latentem deprehendere vellet. Cum forte retulisset aliquis, apparuisse quendam, inter servorum quisquilias, vulgari habitu, fercula discumbentibus ministrantem, qui Czarum oris similitudine referret; hiscere tamen nemo sustinuit. Dissimulare omnes cogebantur, ne, si adfuisset, latere tamen cupientis iram in se converterent. Quam gratiam ab eo initurus fuisset, qui agnitum protraxisset, & reluctantem invisus sibi cumulasset honoribus? Profectò sicut irreverentiæ crimen non effugisset, qui scire se ostenderet, quod ipse voluerat ignorari; ita notitiam qualemcumque dissimulantes, quod ejus se voluntati accommodassent, venerationis atque obsequii laudem meruisse sunt censendi. Obtinuit igitur, quod maxime tunc optabat Latere voluit, nemo prohibebat: latere voluit, & tamen publice honorari: hoc quo pacto fieri potuisset, non mirum, si nemo affecutus sit. Proinde si ad Legatos respicias, plus honoris exhibitum illis est, quam aut pacta exigant, aut ante illos Legatorum contigerit ulli: si ad Principem, potuerit quidem iste honor fastigio illius fortunæ minor fuisse, sed quem ipse, se occultando, majorem fieri vetuisset. Cur enim mentitus personam, Provinciam S<sup>c</sup>: R<sup>c</sup>: Majestatis Sveciæ perreptare voluit? Cur adventum non significavit? Privatis vix toleranda audacia est, si quis, non pulsatis foribus, in ædes irrumpat: Principi certe, qui, præter DEum, neminem se agnoscit superiorem, minus videtur ferendum, si alter in pari fastigio constitutus, fines suos clam se intraverit. Insolens enim est, illos, qui summam in terris potestatem gerunt, alieni regni fines percurrere, nisi fide data & accepta: quod propter novitatem, & viciniam, suspicione atque tumultu ista res carere minime potest. Diversa illorum & privatorum fors est. Quod his conceditur apud illas gentes, quæ advenas admittere atque tolerare solent; non statim summo in imperio versantibus intelligitur esse permissum: præfertim iis, qui, præter necessitatem alienas terras lustratum veniunt, nec discursationis vagæ causam possunt adferre aliam, quam ut suam expleant curiositatem. Quapropter summi Principes non indecorum minus, quam intutum, semper duxerunt peregrinas adire regiones, nisi veniâ decenter impetrata: quam qui neglexerant, luctuosa illis hæc interdum fuit temeritas. CAROLUM V. Cæsarem summa necessitas adegit, ut per Galliam in Belgium festinaret: iter tamen prius non ingressus est, quam Rex Galliarum petenti veniam dedisset. Incautior fuit Richardus Angliæ Rex, qui, cum mutato habitu, Austriacum solum pertransire conaretur, Viennæ captus, atque in custodiam datus, grandi vix pecuniâ libertatem redemerat. Quos igitur Czarus laudare debuerat, quod comiter insolentiam ejus tulissent, eos calumniis onerare non veretur, quod personato dignitatem suam non servassent. Quo magis insperatus ejus fuit adventus; eo minus in contumeliam accipere debuit, si parem ambitioni suæ apparatus non invenisset. Fuit autem, qui nuper defunctus est gloriosissimæ memoriæ Rex ista animi magnitudine, ut, si

nuncium, vel famam tanti hospitis, præsertim ut tunc putabatur, amici, præcepisset, nullis impensis parceret, quibus avidissimi sumtuosissimique Principis cujusque animum extatiasset. Quare igitur abdite latuit, si palam coli voluerat? In turba se abscondidit, si ut Princeps suspici atque æstimari cupiverat? Quid? quod cum ita se gesserit, qui putabitur alio id consilio fecisse, nisi ut rixarum inde haberet materiam, si quando Svecos, ut nunc fit, laceßere ipsi allubesceret? Quapropter fas sit sperare, omnes, qui rerum sunt intelligentes, liquido hinc perspicere posse, quam impudenter, quam stolide dicam supremo Livoniæ Præfecto impingant Moscici, quasi in dignitatem Czari deliquisset. Sive enim ignorasset præsentiam Czari, quod in ista tam anxia sui occultatione necesse erat, ignoratione ipsa merito excusandus est: sive novisset, quod tamen ex perobscuris vulgi rumoribus certo non potuit, justæ venerationis laudem assequetur, quod tam indigne se gerentem non prodidisset. Quæ cum Moscici optime cognita essent, singularem tamen innocentissimo Viro calumniam intentare non erubuerunt. Noverat, inquit, Præses Rigensis, quæ res ageretur, sed luctum, quem ex obitu filiae perceperat, obtendit. O incredibilem in fingendo audaciam! Filia sesquialtero anno, postquam hæc Rigæ gesta sunt, vixit: & tamen pater tunc mortuam lugebat. Anticipare scilicet luctum voluit, quod illam hariolatus est post illud tempus vivere defituram esse. Piget tam insipidas fabulas disfluere. Et quis omnia, quibus ipse accusationis libellus scatet, persequi potest? Quocumque te vertas, Moscum esse Moscum invenies: nec quidquam tam absurdum esse, quod ille & audacter fingere, & impudenter proferre non valeat.

Evimvero si inhonoratam vel Czari præsentiam, vel Legatorum, putassent Moscici, quare hanc injuriam tunc, cum recens erat, non expostulaverant? Illi, quorum animi honorem insatiabiles sunt, quique in minimis etiam tricari non grave putant. Quare, quod præsentibus placuit, postea displicere potuit, ut in atroces adeo objurgationes erumperent? Nam concinnus ordo, disciplina, cultus, apparatus, humanitas, cæteraque, quæ Rigæ fieri & observari cernebant, Moscorum oculos mentesque adeo tunc perstrinxerant, ut tanquam in alterum orbem delati, pene obstupescerent. Admiratus hæc est ipse Legationis princeps, Fortius: literis ad amicos, quos Moscua habebat, perscripsit: (N) prædicavit Hagæ præsidis Rigensis comitatem, atque prudentiam: & Legato Svecico, qui, in concilianda inter Principes Orbis Christiani pace, nomine S: R: Majestatis, sequestris munereungebatur, & suo, & Czari nomine gratias egit ob singularem, quam itinere Livonico experti sunt, humanitatem. Nec dissimulavit ipse Czarus, qui cum iter suum commemorasset, addidit, per Sveciam domum reverti se constituisse, si Regi acceptum fore credidisset. Quod ut S: R: Majestas rescivit, eum honorificis verbis in Regnum suum invitavit, ut re ipsa ostendere posset, quanti faceret vicini Principis amicitiam. Idem cum Elector Saxonie & Princeps Contius de diademate Polonico contenderent, diligentius percontatus est, utri Candidatorum S: R: Majestas faveret: se quidem Electorem præoptare: sed si Regaliter visum fuerit, a sententia discessurum: quod nihil committere vellet, quod Regi Sveciæ ingratum esset, cujus amicitiam ante omnia sibi pignerari cuperet. Talia cum ipse Czarus, tum Legati, quo tempore apud

Bata-

Batavos commorabantur, ingeminabant, non minimo ullius ; quam Rigæ concepissent, simultatis indicio. (O) Nec ullum rursus à Svecis officium prætermissum est, quod ad hanc amicitiam corroborandam pertineret. Cum ad classem, quam in Mæotide parabat, petiisset Czarus, ut tormenta in Svecia liceret coëmere ; non tantum assensit S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Majestas, sed trecenta etiam tormenta bellica, quæ in Moscoviam confestim aucta sunt, ultro ei donavit. Quod gratissimum sibi accidisse, datis ad S<sup>m</sup>: R<sup>m</sup>: Majestatem literis, paulò post significavit. (P.) Nautas in maritimis Sveciæ oppidis conducere voluit: non denegatum est, si qui sponte nomina darent. Hæc omnia, cum post acta sunt, quam Rigæ fuerat, ecquis querelæ post tot mutuæ benevolentiae signa, locus supererat? Aut qua ratione damnare illa potuit, quæ antea tantopere visus erat approbasse? Cum officia Rigæ sibi præstita, cum ipse, tum Legati ejus, laudarent, eo ipso confessi sunt, istuc accidisse nihil, quod non gratum illis acceptumque fuisset: aut si qua offensio facta erat, eam omnem ostenderat Czarus, cum amicitiam postea offerret prolixius, atque prædicaret, ex animo ipsius fuisse deletam, aut certe non tanti aestimatam, ut ad animum revocari deberet. Sed non est ea Moscic humanitas, ut injurias, si quas putent se accepisse, tam diuturno premant silentio; qui in levissimis etiam exoptulandis, non prompti minus, quam ridiculi esse solent. Quo verius credibilis est, si in officiosos in se Rigenses invenissent, non tantum tunc non dissimulasse, verum etiam à prædicandis iis officiis, quæ omisâ nunc queruntur, omnino abstinuisse.

Sed fingamus Rigæ quædam accidisse, quæ parum officiosa existimarent: qualiacunque tamen fuissent illa, insciente Rege Sveciæ, facta esse fateantur, oportet: cum tanto locorum intervallo disjunctus, neque scire adventum Czari, neque quæ Rigæ agerentur, divinare potuerat. Deinde conveniat illis cum Svecis necesse est, si contra Rigenses jus obtinere voluissent, fuisse injuriam, qua se læsos putabant, deferendam, ut cognosci posset, quænam fuisset illa, quæ tantam ipsorum animis ægritudinem attulerat. Si, postquam exoptulatio facta est, in justa satisfactione tergiversati essent Sveci, tum demum in illos culpam conjicere æquum fuisset. Jam tres abierant anni, postquam Rigam perturbavit inopinato suo accessu Czarus: interea non modo de injuria nullum verbum factum est, sed etiam pristinae amicitiae species mansit. Unde igitur scirent Sveci, resedisse tantam in ejus animo simultatem, cum propensiori, quam antea, voluntate in eos esse videretur, & accepta ab eis beneficia effusius laudaret? Superiori demum anno, legatis Svedicis, qui Moscuæ erant, jam domum abituris criminatio hæc allata est: verum illi, qui non de controversiis componendis, quas domo profecti, nullas audiverant, sed de fœdere renovando, mandata acceperant, ad crimen improvisum insperatumque non aliud respondere potuerunt, quam se de illo ad S<sup>m</sup>: R<sup>m</sup>: Majestatem quam diligentissime relatueros. Quod absque mora factum est: datis simul ad supremum Livoniæ Præfectum literis, quibus exemplar libelli accusatorii erat inclusum. Sed has, cum non paucis aliis, consveta Moscorum licentiâ suppressas fuisse, postea innotuit. Quamobrem cum diem ex die expectantes, neque nuncium Rigâ acciperent, neque ob nimiam longinquitatem locorum, responsum S<sup>a</sup>: R<sup>a</sup>: Ma-

D

jesta.

estatis brevi ad futurum perspicerent, confecto negotio, cujus causâ ad-  
venerant, ad suos reverti statuerunt. In reditu cum Narvæ intelligerent,  
nihil literarum venisse Moscuâ, dolum subolfacientes, ad supremum Li-  
vonix Præfectum denuo scribunt, hortati, ut quantocyus responsum ador-  
naret. Eidem quoque S<sup>a</sup>:R<sup>a</sup>:Majestas, à Legatis de hoc negotio jam cer-  
tior facta, mandavit, ut, morâ nulla interpolita, de criminibus objectis se  
purgaret, & enodatus apertiusque explicaret, quo cultu Legati Moscici  
Rigæ fuissent habiti. Nihil cunctatus ille, quam primum obsidione Sa-  
xonum Riga liberata fuit, fusiori epistolâ, (Q.) quam decima quinta Ca-  
lendarum Aprilis proxime præterlapsi Holmiam miserat, falsa fictaque ef-  
se omnia ostendit, quorum à Moscis postulabatur, & in illos omne genus  
humanitatis atque benevolentix abunde collatum, idoneis testibus proba-  
vit. Cum defensione æquitatis plenissima uti videretur, jussus est minister  
Svecicus, qui Moscuæ degebat, eam cum accusatoribus communicare, &  
si præter spem minus satisfaceret, hortari Czarum, ut Legatis suis, qui jux-  
ta fœdera propediem Holmiam mitterentur, potestatem faceret ulterius  
hanc controversiam discutiendi. Quod postulare eo majori jure potuit  
S<sup>a</sup>:R<sup>a</sup>:Majestas Svecix, quod prisco more receptum erat, ut, Legatos ad al-  
terum mittens, desideria sua, quæcunque haberet, ad eum simul deferret,  
non vero alterius Legatis, qui ad ipsum missi fuerint, eadem exponeret.  
Quo pacto dissidia, quæ inter hos populos exorta sunt, frequenter sublata  
esse constat. Cum neque hanc rationem amplecteretur Czarus, neque  
viam fœderibus descriptam insisteret, dubitare quisquam potest, uter in  
culpa sit, si injuriæ, quæ se affectum tradit, remedium non sit allatum?  
Quid enim causâ erat, quæ cognitionem subterfugeret, quare à pactis re-  
cederet? Geminam illa, ut antea monitum est, controversias omnes tol-  
lendi componendique viam demonstrant: harum neutram tentare voluit.  
Metuebat enim, si putidissimæ hæc calumniæ in disceptationem venirent,  
fore, ut præ pudore ac ignominia sui consistere non possent, & immani  
perfidix, quam dudum animo habebat defixam, pulcherrimus hic prætex-  
tus eriperetur. Cum sedandæ hujus controversiæ serium in Svecis stu-  
dium animadverteret, nova eludendis pactis diverticula quærens, apud  
fœderatos Belgas litem hanc deponere voluit. Quanquam inusitata hæc  
via erat, & majoribus ambagibus circumducta, quam quæ pactis osten-  
ditur; à S<sup>a</sup>:R<sup>a</sup>:Majestate tamen, ne videretur aut causæ diffidere, aut ar-  
bitros repudiare, quorum æquitati ac prudentiæ plurimum tribuebat,  
haud difficulter in hanc consensum est. Sed brevi apparuit, non alio con-  
silio istud factum, quam ut Svecos, pariter ac socios, à sensu impenden-  
tis mali avocaret, & quos aperto Marte aggredi non audebat, illos occul-  
tis nefandisque dolis subrueret. Vix enim causam hanc Batavorum fidei  
commiserat, cum domi classicum cani jubet, tanto detestabiliori ad  
omnem posteritatem perfidiâ, quanto pluribus sanctioribusque assevera-  
tionibus pacificæ mentis studium ubique testatum reliquerat.

Hoc caput totius criminationis erat, quod postquam fractum atque  
contusum est, reliqua persequemur; quæ putida nimis ac futilia, ut nu-  
merum impleant, tantum adducta videri possunt. Certe, præter Moscum  
talia nemo inter causas belli referre vellet. Quam enim inanis & nugato-  
ria accusatio est, *currum Vosnicini a rusticis Lidonis expilatam esse*, postquam,  
restit-



restituta prædâ, ultimum de fontibus sumtum est supplicium? Si læso ad recuperandas res jus æquum non persolvissent Sveci, nemo querelæ locum esse negaret: cum vero in crimine indagando puniendoque acerrimos se præbuissem, quid est, quod in hac causa aut accusare Mosci habet, aut Svecus defendere? Contigerat illud furtum culpâ potissimum Moscorum, qui dum in tergum rustici aurigæ, quod fessis jumentis tardius agebat, verberibus pro more suo sævirent, dolore hic ac metu consternatus, curru paulum a via abducto, profugit. Supervenientes postea duo rustici, res in silva derelictas domum auferunt, homines in tantum simplices, ut quasi jure occupatas venum exponerent. Cujus tamen facti causa in jus rapti, capitis damnantur: atque quod partem prædæ de medio removisse arguebantur, præter morem patriis Legibus receptum, tormenta etiam in reos ad veritatem exprimentam sunt adhibita. Hac severitate cum uterentur Sveci, si mens sana Moscis esset, summum in illis justitiæ studium laudare potius debuissent, quam vanissimam hanc proferre criminationem. Quam sane illis satisfactum est, cum ex tota supellectile, præter res nauci, nihil desideratum, & facinorosorum supplicio expiatum crimen erat. Si privata noxa justam belli causam præberet, quis non intelligat, miserrimam fore sortem mortalium, cum improbissimus quisque pacis bellique arbitrium haberet? Quantasunque enim comminationes faciat Princeps, pœnasque in maleficia statuatur: nunquam tamen efficiet, quin pravi homines, si volent, periculo suo leges transgrediantur; quorum culpam à Principe præstari tum justum cenetur, si impunitam finat. Delicta autem suos auctores sequi, iisque punitis, reatum è civitate tolli, nemo unquam dubitavit. Nisi fortasse Moscis aliter videtur, quibus itinera obsidere, & viatores crudeliter jugulare, tantum non in concessis ponitur. Quod si ad justitiam belli hæc sufficerent, quoties ipsi violatæ pacis crimen incurrerant? Quot suorum numerare Sveci possunt, dum negociorum causâ in Moscoviam abirent, vitâ fortunisque miserrime spoliatos? Quoties prædatorum globi in agrum Svecicum irrumpentes, ingentia damna dederant? Sed hæc justo ordine exposita videbunt Mosci, cum Sveci suas querelas protulerint. Quid autem dementius, quam cum ipsi frequentia latrocinia sæpius inulta patiuntur, Svecis punitum crimen objicere, eoque nomine insectari alios, cujus toties rei ipsi facti sunt? Verum Sveci, quod judicaverant ejusmodi facta fuisse à publico consilio remota, justa via res repetere hæcenus maluerunt, quam culpam latius extendere. Atque hoc pacta jubent: (R.) quibus, ne pacem, publica sanctimoniâ stabilitam, privatorum audacia unquam posset sollicitare, saluberrime provisum est, ut tales injuriæ, quæ, inscio Principe, inferuntur, fontium suppliciiis abolerentur. Neque hoc Mosci non sciunt, sed usque adeo, quod fœdissimo bello prætexant, non habent, ut etiam impletas pactorum leges vituperent.

Sed jam tertiam criminationem consideremus, cui ansam dedit quædam inter duos tabellariorum præfectos controversia, tam tenuitate sua contemnenda, quam insulse agitata. Supremo Livoniæ Præsidi scribit, aut verius imperat, Vinnius Moscuensis, ut Grœnium, qui Rigæ tabellariis regiis præpositus est, ab administratione removeat. Graves enim sibi rationes esse, cur id fieri vellet: quas quanquam tunc indicare

non poterat, postea tamen satis se illi approbaturum. Quæ cum Holmiam nunciata essent, impotens nimis & iniqua visa est hæc viri postulatio, qua alterum nullius flagitii convictum, indicta causâ, damnari voluit: sed ut nascens forte malum in herba supprimeretur, ministro Svecico, qui Moscuæ erat, placuit mandata mittere, ut Vinnium causas tam atrocis accusationis rogaret. Grœnius simul aspere monitus est, omni altercatione, quâ irritabilis animus majori tantum ira inflammaretur, se abstineret. Interjecto tempore, cum querimonias suas edidisset, Rigæ protinus dati sunt cognitores, viri in iudicando spectati & prudentes, qui testibus auditis, & singulis curatius examinatis, simultatem hanc ex perlevibus initiis ortam esse deprehendunt, auctore cive Rigensi, qui perverse nonnulla ad Vinnium detulerat: auctam deinceps, cum pro literis Memelam perferendis mercedem repræsentari Grœnius postularet; alter binis tantum in singulis annis pensionibus solvere eandem vellet, non publica, non privata conventionem nixus. Reliqua crimina, quæ ingerebat, aut odio in adversarium conficta, aut parvi admodum momenti: veluti fasciculum epistolarum tardius allatum: & capsulam, in qua muria erat ex ovis piscium, à veredario, onus averfante, in viarelictam: sed & hæc, imprudente Grœnio, accidisse. Itaque cum satis quæsitum esset, quid de singulis factis sentirent, expromunt. Absolvere enim reum, aut damnare iussi non erant: cum cognitionis tantum, non ordinarii fori res agebatur; & metus erat, ne eadem temeritate, qua litem hanc intenderat, sententiam iudicum Moscus rejiceret. Acta integra Holmiam missa sunt: & Legatis Moscicum iter ingressuris tradita, ut Vinnio inspiciendi facultatem facerent, & quæ vellet, simul admonendi. Factum est: inspexit, perlegit: quæ desideraret, Legatis Moscicis, qui in Sveciam proficiscerentur, expositurum se dixit. Tantam diligentiam in nugis hisce adhibuerunt Sveci, ut tetrico homini, & in simpulo fluctus excitanti, omnem querelarum ansam præscinderent: effugere tamen non potuerunt, quin ab illis, qui nodum in scirpo quærebant, in argumentum nefarii belli arriperentur. Tolli hæc nullo negotio controversi potuisset, cum inter privatos tantum contentio esset, nec quidquam haberet, quod cum publicis fœderibus esset commune, nisi ad supplendum justæ causæ defectum eam hic succenturiari Moscus voluisset. Quid autem est hoc, nisi ruditatem suam imperitiamque orbi deridendam propinare, quod minuendo horrori quem omnes probi ex fraudulentia ejus perceperant, tam viles cavillationes putarit sufficere, perjuriique dedecus pellucidis hisce tegumentis celari potuisse.

Neque aliter de ære alieno mercatorum quorundam, quod ultimum in libello criminoso locum occupat, pronuntiandum. Privata nomina sunt, si quæ sunt, non publica fide, non Rege auctore, facta: & proinde ab iis, quorum fidem in rebus contrahendis secuti sunt Mosci, exigenda. Patuerunt fora, non illa quidem anfractibus longis tortuosa: cum hoc quoque in felicitate sua Svecia ponit, quod contractiora litigiis tempora constituta habeat. Quoad Legibus experiri neglexerant, tam diu arguere nequeunt Mosci, injuriam sibi factam esse, aut quidquam, quod pactis adversum esset, decretum. Florentissima, dum lieuit, inter has gentes mercatura fuit, atque, ut demonstrari potest, Moscis quæstuosissima. Si  
quid

quid in rationibus conturbatum sit, quo pacto illud debeat expediri, fœdera præscribunt. (S.) Cum juxta illa ordinarios apud judices in regno, apud Præfectos vero in urbibus limitaneis, quando solutio impedita fuerit, debitores appellari debent; quare non ad eos potius, quam ad Batavos, querela delata est? Præposterum enim est, & insanum, absque causa uti circumitione, cum breviori viâ defungi licet. Hanc fœderibus solennibus designatam, longissimo etiam usu tritam, noverant Mosci: à qua ut hoc potissimum tempore deflecterent, quæ alia suberat ratio, quam quod sperarent, vanissimis hisce officiiis præstringi hominum oculos potuisse, ne turpitudinem violati fœderis viderent. Qua tamen in re nihil aliud assequentur, nisi ut ab omnibus mortalibus, qui fraudes oderint, insultitas Moscica cognoscatur, & audacia. Indignabitur præsens ætas tam vilia & insipida ad turbendam Orbis quietem prætextu sumi: & posteritas inter illa exempla memorabit, quæ irrifu magis, quam liberali judicio ac cognitione digna habeantur. Ipfis profecto illis, qui fœdere conjugationis tenentur, tam abjecta hæc & indigna judicata sunt, ut socii Principis ineptias miserati, suppeditata nova calumniâ, gravius quid & robustius sonare docuerint.

Sane, quæ sequuntur criminationes, Moscis inter causas belli relatæ non sunt, neque uspiam verbo saltem earum mentio facta est: quoniam tamen Moscorum nomine nuper divulgatæ, ad multorum cognitionem pervenerant, cujuscunque fœtus sint, ne incauto lectori imponant, discutiantur hic necesse est. Non autem quisquam, qui artes aulæ Saxo-Polonicæ degustaverat, potuerit dubitare, quin ex eadem disciplina hæc commenta prodiissent, terribis etiam conviciis, quasi condimentis quibusdam necessariis, aspersa, ut invidiam Svecis, quemadmodum auctor putabat, aquod rerum imperitos crearent; sed, ut saniores interpretantur, ne quisquam ignoraret, tam uberem isti aulæ calumniarum esse venam, ut non tantum sibi sufficiat, sed etiam aliis ex abundantia suppeditare quasdam possit. Quæ, si forte armis socium sublevare non posset, ne tamen nihil fecisse videretur in ejus gratiam, quem ad inauspicatissimum hoc bellum proritaverat, dolis & calumniis perditissimam causam juvare voluit. Fabulantur itaque *Svecos in speciem omnia officia amica tranquilleque vicinitatis servasse Czaro; atque, ut fidem sibi ad fallendum præstruerent, Legatos ad fœdus renovandum superiori anno misisse: occulte autem graves ei insidias molitos esse, Polonis contra illum in societatem sollicitatis, & Turcâ ad bellum continuandum hortationibus suis impulso: idque eo animo fecisse, ut, concisis tot hostibus, Moscicum imperium funditus excinderent. Proinde Czaro, cum machinationes fraudulentas sibi notas exploratasque haberet, arma necessariò capiendâ, ut tantum a cervicibus suis periculum depelleret, atque simul exuberantes Svecorum vires ita accideret, ne sibi aliisve in posterum nocere possent. Constare enim Orbi, Svecos ex rapto vivere solitos, nunquam conquiescere: & Carelia In-griaq; cum Moscodia civili bello laboraret, occupatis tantasopes comparasse, ut rebus deinde gestis ad summum gloriæ fastigium adscenderint. Præter hæc, Danum veterem Moscorum federatum, ad iniquas pacis conditiones redactum esse, excluso Rege Polonia, ut a socio divulgum facilius proculcarent: quorum injurias ut ulciscatur, Czaram ex sanctissimo fœdere obligatum esse.* (T) Hisce adminiculis vacillans illa & nimis languida Moscorum accusatio sustinenda erat, ne sua de-

debilitate corruens, mundo ludibrium deberet : quæ tamen omnia quam nihil habeant solidi , quamque imbecilla atque exesa sint , oculos propius admoventibus mox patebit.

Equidem quanta conscientia vis, quantaque lux sit veritatis, quisquis compilator est, dissimulare non potest. Fatetur enim Svecos re ipsa nullam Moscis injuriam intulisse, sed omnia officia amicitia servasse: per Legatos quoque nuper vetera cum illis pacta renovasse: atque eatenus nihil esse, quod in illis reprehendatur. Totam autem criminationem in clandestina & perniciofa eorum conata confert, quæ comprimere armis atque retundere Czarus debebat, si se, suumque Imperium voluisset salvum, Si quaeratur, quibus indicis occultæ hæ Svecorum infidia detectæ fuerint, procul dubio respondebitur, ex aula Saxo-Polonica tantum profectum esse beneficium. Neque enim facile quisquam est, qui fuisse Svecos suspicetur tantæ tamque inconsideratæ temeritatis, ut cuiquam alii, præterquam cuius maxime referret, rem summi consilii, atque ipsa taciturnitate conficiendam, aperirent. Ab illa igitur aula hoc secretum emanavit: cuius fidei quantum sit tribuendum, nemo non intelligit, qui noverit eandem & Svecis esse infensissimam, & similiarum calumniarum, quas in causa simili fabricaverat, antea manifestam & convictam. Quare falsitatem hujus criminationis pluribus non opus est arguere. Fœdus cum Republica Polona sicut forte utrique Genti non fuisset inutile; ita non aliud, quam quod ad mutuam securitatem, ornamentumque spectaret, admittere S: R: Majestas Sveciæ unquam cogitavit. Quod si hoc Czari animum offenderat, confiteatur simul oportet, propterea invidiam sibi fuisse hanc conjunctionem, quod immanissimis consiliis, quæ ad Sveciam opprimendam jam diu animo agitaverat, atque adeo execranda perfidia, conatu licet irritato, perficere nuper voluerat, maximo impedimento fore eam judicaret. Sed non tantum cum Czaro amicitiam redintegravit S: R: Majestas; sed etiam cum vicinis omnibus pacem illacessitus habere constituit. Quo minus redargui meretur, si ad perpetuitatem tam salubris propositi consilia sua omnia dirigeret. Aut cur non liceret, citra alterius offensam, fœderibus justis salutem suam tueri, & innoxia sibi amicorum præsidia circumponere, quibus malevolorum insultus, si forte ingruerint, retundi possent atque elidi? Qui enim se conservare studet, non alteri nocuisse idcirco censebitur. Nec continuo, qui uni propiori amicitia nexu jungi cupit, alteri factus est inimicus, aut periculum moliri dicendus est. Procul a S: R: Majestate hæc fuere consilia, quæ Czarum non simulatis officiis devincire sibi voluerat: ad Legatos vero mittendos lege fœderis adstricta erat, (U) quâ diserte jubetur, ut mortuo alterutro Regum, auspicia regni sui successor solenni Legatione superstiti denunciaret, æternumque fœdus cum illo renovandum curret. Non itaque simulationis erat, sed necessitatis, ut Legati mitterentur: & tamen hic crimen erit, pactorum leges servasse. Etenim nihil unquam contra rem Moscicam cogitasse Svecos, certissimum verissimumque argumentum esse potest, quod, florentissimis suis rebus, Moscoviam aut internis turbis vexatam, aut difficili atque ancipiti bello foris colluctantem, non modo non laceffiverant, sed etiam quibusvis officiis, quæ amico & vicino populo exhiberi possent, coluerant, suppeditato etiam non modico belli apparatu.

paratu. Si occasionem nocendi Moscis infidiose captassent, quæ major unquam opportunitas fuisset, quam tunc, cum suis & aliorum armis oppugnare illos potuissent? Non parvis quoque sollicitationibus in partes invitabantur Sveci, si commoditatem belli suscipiendi, quam sanctitatem fœderum, magis respexissent. Itaque qui neque opportunitate temporum, neque promissis amplissimis, induci poterant, ut fidem infringerent, quæ ratio nunc eos ad consilium mutandum impelleret? Quamvis enim, istum hostem non magnopere sibi extimescendum putaverint: res tamen adversus eum gerere adeo non optaverant, ut pactis diligenter sancteque observatis, officiisque continuis, illius amicitiam firmare sibi maluerint, quo victo, non gloriæ multum propter ignobilitatem, & parum commodi propter vastitatem incultumque regionis consecuturos se videbant. Cum itaque nihil esset, quare aut Moscum bello Sveci peterent, aut ille metueret, quidquam sibi ab his detrimenti allatum iri, apparet hoc maligni animi esse commentum, non tam Mosco temere creditum, quam ad criminandos Svecos astutissime arreptum. Cum Turca autem pacificationem impedivisse Svecos, quomodo sibi persuadere, vel aliis, potest, cum neque cum ista gente commercium ullius rei habent, neque per quinquaginta fere annos suorum quenquam miserant, qui minimum illic negocium gereret? Quare non est credibile, Moscum, qui Svecorum fidam constantemque amicitiam tot clarissimis documentis cognitam perspectamque habet, serio illis insidiarum crimen objectasse: exprobrare potius voluit antiquam simplicitatem, & nimiam fœderis religionem, quod opportunissimis temporum momentis, quæ ipse utique sibi non prætermittenda judicavit, ad quæstum & compendium uti nescivissent. Sed peregrinæ istæ sunt artes, & Svecorum moribus ignotæ: qui virtute agere consuevit, falsa amicitia specie, ignavis turpibusque dolis, & perjuriis, vicinos fallere nondum didicerunt.

Verum quid attinet diutius ea scrutari, quæ ficta sunt, & inania, cum aliud restat diluendum, quod a se admissum esse, Sveci inficiari non possunt? Nam cum ea hæcenus arguerat Moscus, quæ adversus se patrata essent; jam ad sociorum injurias dilabitur: quorum alterum armis ad iniquas pacis leges adactum esse criminatur; alterum ut facilius opprimi possit, a pace exclusum. Hic primum aliquid dicere videtur, quod magnanimo Principe non indignum esset, si ex justa causa, si justo tempore, nec præpostere, ut nunc fit, dictum esset, Quid enim æquius, quid majori laude mactandum, quam fidem sociis servare, & ab iis prohibere periculum, in quod præsertim non sua, sed adversariorum culpâ inciderrint? Sed cum diversæ sunt eorum, quos fœderatos appellat, causæ; disjungenda etiam eorum consideratio est. Nam quod ad Serenissimum Daniae Regem attinet, non dubium est, quin quisquis & fidem, & ratiocinationem Moscicam perpenderit, fateatur ad causam nihil absurdius, ad exprimendam vero Moscorum imaginem accommodatius nihil adferri potuisse. Fides in eo elucet, quod quamdiu Holsatica cum Danis controversia fervebat, neque auxilium ei, cui se ex fœdere opitulari debuisset jam clamat, ullum tulit; neque intercessit, ut discrimen à fœderato Rege averteretur: contra in Belgio per Legatum suum jactavit, se isti disfidio, quod ad illum non pertineret, nolle se immiscere, (V.) Præterea

id est

E 2

cum

cum Aëlegatis ejus Sm: Rm: Majestatem Sveciæ præterita æstate adiisset, cum castra in Selandia, Danorum insula, haberet, non modo factam hanc exscensionem non reprehendit, sed ne verbo quidem ingratham fuisse Czaro indicavit. Ratiocinatio autem talis est, ut non ab homine sano, sed ab eo, qui rationis atque omnis humanitatis expers sit, protecta esse videatur. Quam enim inconsultæ est cupiditatis, quam plenum insolentiæ, Jus & arbitrium sibi in illum vindicare, qui summo in imperio constitutus, liberam habet voluntatem, nec cuiquam mortalium subjectus, Deo soli reddendam credit factorum suorum rationem? Acta Danorum Regis rescindere Moscvs audet, inque dubium vocat, an fas esset illi controversiam, quæ cum Duce Holsatiæ erat, per amicam potius compositionem, quam incertum armorum discrimen tollere. Sed metu, inquit, & vi coactus est in ea consentire, quæ alioquin maxime averfaretur. Quod si esset, quid hoc ad alterum? Siquidem is, qui sui Juris est, amplexus illa sit, quæ suis rebus proficua, nec alteri injuriosa esse judicasset: & quæ amplexus esset, tueri postea, & rata habere pergat. At neque coactus est Rex Daniæ rem in discrimen adducere. Sponte arma sumpsit, ea mente ab initio, ut ferro causam disceptaret: deposuit illa, postquam Martis aleam ancipitem judicavit, tutius autem viâ Juris transigere. An suo arbitrato agere Rex Daniæ hic non potuit? Aut regnum suum in clientelam Moscvs tradidit, ut adeorum nutum voluntatemque sese componere deberet? Sed, uti liquet, non tantum extra oleas vagatur, cum libertatem alienam persequitur; sed etiam intolerabilem impotentis animi factum prodit, cum controversiam maximo summorum Orbis Christiani Principum studio ac labore sopitam, exagitare sustinet Moscvs. Quin cæcam libidinem in propatulo ponit, cum, acquiescente illo, cujus res potissimum agitur, bellum eo nomine se dicat suscepisse. Jam vero ex fœdere, quod ipsi cum Dano intercedit, quæ necessitatem ostendet sibi esse impositam, aut Jus natum ad arma Svecis inferenda? Ut auxilio contra hostes veniat, tendere illud fœdus non negabit. At cum hostium loco, neque tum, cum controversia Holsatica erat, Svecos haberet Rex Daniæ, atque jam, ut antea, iis utatur amicis; neque hi rursus Regem Daniæ hostem judicarent, aut alias partes in Cimbrico negotio sibi sumerent unquam, quam Rex Britanniæ, quam Batavi, quibuscum una pacti Altenoensis sponfionem susceperant: quam inepte hoc nomen immani suæ perfidiæ prætendat nemo est, qui non percipiat. Scilicet fœderum reverentia movebatur is, qui illa religioso etiam sacramento firmata polluere non veritus est: aut socii necessitatibus subvenire voluit, qui, quod ad ille in angustiis versari visus est, opem omnem subduxit: depulso dudum periculo cum illius non indiget, præsto est. Quasi cuiquam obscurum esse possit, Czarum non sua potius libidine, quam sociorum causâ in bellum hoc prorupisse: a quo illum metus Turcarum hætenus retinuerat.

Quemadmodum autem similtas illa, quæ Regi Sveciæ cum Danis erat, facile potuit aboleri; ita injurias, quas Rex Poloniæ obtulerat, altius in animum penetrasse, quo majori cum indignitate ac perfidia conjunctæ sunt, nemo paulo humanior demirabitur. Illum S: R: Majestas Sveciæ, ut amicum & propinquum, & super hæc propiori fœderis nexu sibi

jungendum, omni officiorum genere cumulaverat: aggressus ille est S<sup>m</sup>: R<sup>m</sup>: Majestatem, innocuam, & pactis fidentem, non justo bello, non legitimo modo, quo Reges ad arma procedere solent, sed dolis, & turpitudine. Florentissimam Provinciam expilavit, priusquam se inimicum professus est: castella interceptit: urbes oppugnavit: proditores fovere, cives ad seditionem illicere, cœlum terramque miscere non destitit, ut hostes undique in Svecos concitaret: Sparsis quaquaversum teterrimis calumniis, & societate nefaria cum malevolis inita, cum Svecis arctioris amicitiae spem quam maxime faciebat. Hunc igitur Juris Gentium violatorem, hostem & insidiatorem perniciosissimum, cum neque de injuriis remitteret, sed in proposito & nocendi animo pervicacius persisteret, cuiquam iniquius videbitur, post atrocissimas tot injurias, à Rege Sveciæ in gratiam non receptum esse, quam nunc à Czaro defendi atque protegi? Videlicet illum Svecis conciliare Moscusc voluit, quem à spe conatuque potiundæ Livoniæ depulsum erexit, & debilitatum spe auxilii in sententia confirmavit. Quis expulcherrima ista conspiratione restaret, cujus consiliis atque opibus in bello hoc inauspicatissimo uteretur Czarus, si hunc statorem, & columen rerum suarum unicum, ipsi subduxissent Sveci? Liquet enim iisdem consiliis innexum, jam diu pestem Svecis moliri: contractam esse societatem ea lege, ut, quamprimum à bello Turcico respiraret Moscus, in Svecos, quorû Provincias inter se partiti sunt, omnem vim effunderet: interea, quantum posset, ille bellum traheret. Sed risit ex alto DEUS temeritatem hominum; & impia fœdifragorum consilia disturbavit. Qui fiducia virium paulò ante ferox, magnam Sveciæ partem spe devoraverat, brevi ad mœnia Narvæ conflictu expertus est, quam parum impiis in numero copiarum auxilii sit: quantum vero exigua manus virtute, & causâ subnixâ valeat. Atque ita qui subita & improvisa irruptione Svecos prohibuit, ne injurias à Rege Poloniæ factas possent ulcisci, illum plagam, alterius perfidiæ debitam, tergo suo excepisse omnes jure meritoque existimabunt. At vero, cum tam arctam inter se coivissent societatem, ratio non apparet, quare indignetur hunc sibi socium esse relictum, quo per conciliationem cum Svecis erepto, doleret hodie superesse neminem, qui cum clades suas communicare posset. Quod igitur beneficium erat, injuriam nunc interpretari non debebat. Retineat pœnitentiæ socium, quem in bello incipiendo hortatorem consiliatoremque secutus est. Non invident Sveci hanc tantam ipsi cum Rege Poloniæ amicitiam, quam pat causa, similis perfidia, gemina temeritas arctissime conglutinavit. Quamquam, si hic quoque jurata fides plus apud Moscum valuisset, quam levitas & dominandi libido, à societate hac abstinuisset: cum æterno fœdere conventum est, ne Svecorum hostibus auxilium ferret. (X.)

Quæ præterea hoc scripto continentur, ad examen hic revocare non attinet. Impuram quandam iniquissimarum calumniarum esse faraginem, quibus S<sup>m</sup>: R<sup>m</sup>: Majestatem, Gentemque Svecicam in odium adducere, resque ab illa fortiter gestas maculâ adspargere, laborat compilator, nemo non intelligit, sed, ut opinari licet, frustra hic malevolentiam suam consumpsit. Quibus enim artibus famam, quam amplissimam esse ipse fatetur, comparassent Sveci, novit universus Orbis: nec magnopere cupit, ut facundiâ conviciatoris alicujus de ea re doceatur.

F.

Qui,

Qui, cum in Svecis alia deficerent, quæ dente carperet maledico, perpetuam armorum felicitatem, reique militaris studium, criminatur. Sed ut tractandi arma necessitatem illis imposuerunt aliorum injuriæ, qui conjurati toties in Svecicum nomen, extremam moliti sunt perniciem; ita fortunam à DEO concessam hæctenus, donec justitiæ ac virtuti student, propitiam fore sibi pollicentur. Longa armorum quies, quâ jam usi sunt, docebit non minus illaceffitos pacem sequi, quam ad arma prompti sunt, cum provocantur. Itaque gloriam virtute partam, virtute in posterum tuebuntur: nec ab hac perenni contestataque majorum integritate degenerabunt, quam ad posteros puram immaculatamque propagare, DEO propitio, cogitant. Qui vero Svecorum vires accisurum se tam insolenter crepat, non reputat, quam multi sua amiserint, dum aliena sectantur.

Non obscure autem innuit vitiligator, quo hæc valeant convicia, & quasi forex suo se indicio tandem prodit. Careliam, Ingriamque, quas veteres & indubias Moscorum Provincias appellat, cum intestinis dissidiis, centum circiter ab hinc annis, Moscovia laboraret, Svecorum armis occupatas esse; eas hoc bello repetendas. Hanc igitur genuinam hujus belli causam esse non dissimulat: reliqua, quæ ne minimam quidem justæ imaginem habent, obtentui sumta. De his enim Provinciis invadendis, ut portu aliquo maris Balthici potiretur, minas crebro jactasse Czarum constat: & certos populos, quod testibus locupletibus compertum est, ante triennium, cum illos adisset, immunitate vectigalium & magnis pollicitationibus, in partes jam tunc sollicitasse. Quod cum animo suo fixum destinatumque haberet, Sveci experiri debebant, quam leve innocentiae præsidium sit, ubi libido, viribus instructa, dominatur; atque hanc subire tempestatem, quam non innocentia sua, non ulla indutriâ declinassent. Neque enim solcite belli causam quærenti defuturum unquam esset, quod speciose argui posset. Quanquam vero harum regionum non est controversa possessio, in quam Sveci non tam gladio inducti tunc erant, quam jure postliminii & pactis solennibus redierant; tamen ut illi, quibus veterum actorum cognitio fortasse minus obvia est, liquido intelligant, quam juste ac legitime a Svecis illæ teneantur, quam vero improba Mosci cupiditas, & iniquitatis plena sit, non ab re fuerit paulo altius quædam repetere. Ac primum illud a vero longissime abhorret; quod antiquitus Mosci regni fuisse has Provincias tradit. Cum enim ex annalibus Moscorum domesticis, tum exterorum, qui veteris ævi monumenta composuerant, clarissime patet & nomen & regnum Moscicum obscurum antea & Orbi inauditum, quadringentis ab hinc annis, demum emerfisse: tunc quoque per angustis finibus inclusum, Scythis seu Tataris tributa pependisse, donec circa finem seculi decimi quinti a nato Salvatore, Johannes Basilides, avus tyranni ejusdem nominis, excusso jugo, non tantum in libertatem se asseruit, sed etiam vicinos Russiæ populos, longe nobiliores Moscis potentioresque, tunc autem inter se discordantes, majori fraude, quam virtute, paulatim suæ subjecit potestati. Cum Novogardiam, validam tunc & amplam civitatem prodicione quorundam cepisset, asportatis veteribus incolis, horridam feramque gentem suam in eorum sedibus collocavit, primusque Moscorum in Careliam fines Imperii protulit. Itaque ante illud tempus nihil juris in has Provincias fuisse

Mo-



Mosco certum est : sed quas postea eadem, quâ finitima quæque, ferocia invadere cœpit, causam interponens, partem earum ad Novogardenes olim pertinuisse. Svionum in illas jus ac imperium omnem tere hominum memoriam excedit. Nam ut vetustiora non attingamus, seculo post natum Christum nono, cunctis regionibus, quas sinus Finnicus interluit, Imperitasse Sviones testatur historia Scandica : atque, ut domitas in officio continerent, & barbaras simul nationes a mari Balthico, quod piraticis lembis infestabant, arcerent, constitutos habuisse in intimo hujus maris recessu fiduciarios quosdam sui sanguinis Regulos, qui a prima sede, quam in insulis litori vicinioribus habuerant, Holmgardici priscis annalibus appellantur. Unde nomine in proximam continentem, eorumque ditioni adjectam, propagato, Holmgardia dicebatur totus ille tractus, qui Careliam, Ingriam & Æstia partem hodie complectitur. Florentibus horum rebus, quæ opibus potissimum Svecorum fulciebantur, omnis Barbarorum vis multis ætatibus intra remotos ab hoc mari fines cohibita est : labefactatis iisdem, & regno Holmgardico cum Ruthenorum, tum Teutonum in Livoniam irruptionibus everso, cum turbulentus domi status Svecos à ferenda ope prohiberet, Ruthena colluvies è paludibus suis prorumpens, tractis in societatem Carelis, maria late percurfare cœpit, Sveciæ oris maxime infesta. Compescendis horum incursionibus exercitus missus; Careliam brevi pacavit, recepta Kexholmia, quam rebelles infederant, anno MCCXCII, & paulò post, Lanscrona arce in faucibus Lodogæ lacus ædificata. Atque ita ad primos conditores, & jam Finniæ, cujus pars olim fuerat, universæ dominos Holmgardia redibat. At Rutheni, quorum licentia his frænis coercita erat, gravem Svecorum vicinitatem rati, quam primum metus aberat, claustra revellere, & Svecicum agrum continuis divexare populationibus, non desinebant, adjuti viribus Lituanorum Tartarorumque, qui ea tempestate Moscoviam tenebant. Ingentes sæpe clades passi, pacem instaurant : rumpunt, ubi occasio invitabat ; tam diu de alieno certantes, donec ipsi Moscorum tandem infidiis prædæ cesserint. Ab eo tempore, quod à nostra ætate ducentis paulò plus annis abest, has regiones, ut ante dictum, Moscus sibi vindicare cœpit, districta tunc Sveciâ, & civilibus discordiis, quas exterorum Regum electio excitaverat, propemodum exhausta. Ubi ab illis respiravit, lacefcente Mosco, cujus libidini nihil satis erat, veteres Provincias, quas nullo jure iste invaserat, Sveci recuperarunt. Provenitea res feliciter adeo, ut Kexholmia, anno MDLXXX, & Ivangardia, quam MCCCCXCVI occupaverat, hosti ereptis, præter Noteburgum, universæ in Svecorum potestatem pervenerint. Et quanquam iterum Mosco certis legibus permittebantur : pace tamen Stolboensi, anno MDCXVII, ob navatam adversus hostes Moscoviæ operam, in perpetuum Svecis sunt restitutæ,

Quæ fusius in publicis monumentis commemorantur, leviter hic perstringere visum est, ut constare possit, utri regno accenseri debeant hæ Provincie, Sveciæne, cujus à remotissimo ævo pars fuerant, an Moscorum, qui in illas novissime involarunt, ut in idem vicinos populos prædarentur. Quanquam de prærogativâ ætatis supervacaneum est disputare, cum conitat æquissimo certissimoque Jure à Svecis nunc

possideri: quorum tanta cum in totam Gentem Moscovicam, tum familiam regnatricem merita exstant, ut neutra dignam satis gratiam illis rependere queat. Hæc enim Svecorum virtuti debet, quod imperet hodie: illa quod suis potius, quam alienis dominis pareat, quod avitam religionem quod aliquod imperii nomen habeat. Absque Svecis si fuisset, aut sceleratissimi alicujus Demetrii nepoti serviret, aut alienum jugum hodie ferret. Cum Moscoviam exterorum armis obsessam recreassent Sveci, ac pene ex faucibus fati ereptam conservassent, profligatis hostibus, & ipsa imperii sede liberata, debilitatis jam Moscis & abjectis quasi signum ad bene sperandum primi sustulerunt. Quid? quod cum ipsam Novogardiam, oppida quam plurima, & munimenta, suis præfidiis tenerent Sveci, atque adversus hostes longo tempore defenderent, non tantum bona fide omnia reddiderunt, sed etiam Jus suum in universum Imperium, quod Mosci Carolo nono, Svecorum Regi, ejusque filiis, oblatum jurejurando confirmaverant, resignarunt. Quodnam autem par tantis laboribus, impensis, ac periculis præmium reportarunt? Non glebam ullam ex toto regno, quod ab interitu revocaverant, sibi retinuerunt: veteres recepisse Provincias, quas summa injuriâ occupatas restituere dudum Moscus debuerat, unicum lucrum erat. Tantulo impendio, si impendium est, cum alium reddas, tantum Moscus imperium redemit. Sed illud est ingratiſſimæ gentis ingenium, ut, quos, rebus dubiis ac deploratis, tanquam cælo missos & sospitatores suos olim summis laudibus extulerat, quorumque fide ac tutela stetit fortunam suam declaraverat, eos nunc turpissimis fraudibus injuriisque circumventos opprimere nefas non putet. Quæ tamen beneficia à Svecis accepissent Mosci, ipsa eorum confessione, quæ hic apponitur, cognosci potest. (V.)

Itaque scrupulosius forsan, quam opus esset, frivola hæc convelli aliquis dicet: in universum autem de hujus belli injustitiâ nemo paulo æquior dubitabit. Quisquis enim hæc quæ dicta sunt, cum adversariorum accusatione contenderit, non poterit non fateri, neque majori perfidiâ ad bellum processisse quemquam, neque viliores ineptioresque ad illud excusandum prætextus attulisse. Illustrabit autem S:æ R:æ Majestatis virtutem iniquitas perfidiosissimorum hostium: & causæ inter se vehementius, quam homines confligent. Stabunt ab hac parte summa integritas, fides, innocentia, humanitas, mens bona & intrepida: ab altera conspicientur calumniæ, fraudes, perjuria, fidei pactorumque violatio, fera immanisque natura, quam odium Dei hominumque comitatur. Certe his omnibus tanta turpitudine inest atque fœditas, ut non unius populi, sed universi generis humani hostis atque everſor deputari debeat, qui istud vinculum, quo societas omnium gentium connectitur, tam temere rumpere atque violare non est veritus. Quid enim ad salutem reliquum erit mortalibus, si non perfidiam innocentia, non libidinem fœderum sanctitas, non perjuria Dei omnipotentis metus inhibere ac refrenare valeat? Enimvero, ut hæc Mosci audacia quam maturime infringatur, non Sveciæ tantum, sed omnium etiam vicinarum gentium, maxime interesse, omnes intelligent, qui procellam, quæ impendet, circumspicere mentibus paulisper voluerint. Quam nihili putet sacra omnia in-  
inqui-

inquinare, quam perfidus sit, quam libidine dominandi ardens, perspicuum in Svecos documentum exstat: quid vero cum animo ageret, quidque molitur, obscurum esse non potest. Non in bellum hoc ingressus est, ut suas sociorumve injurias, quæ nullæ erant, vindicaret, sed ut barbariem suam in excultas Europæ regiones importaret. Imperium, quod versus orientem solem, per vastas solitudines, ad Sinenses prope muros extenditur, in occidentem quoque dilatare sibi proposuit. Triamaria, quæ terras in immensum spacium porrectas alluunt, non sufficiunt tantæ aviditati: si quartum addi posset, universas totius Orbis opes ad se traheret, easque pro lubitu dispensaret, turbatis aut evertis omnium aliarum Gentium commerciis. Obstare Svecos tam insanis conatis dolet: quibus proculcatis, sperat omnia in expedito fore: tamdiu non suscipi negocium posse, aut certe minori cum lucro. Facillimum enim esse assentatores persuaserant, ut aromata mercesque Orientis adverso Indo subvectæ, atque inde modico terrestri itinere in Oxum amnem, qui in mare Caspium exoneratur, traductæ, apud portum Astracanam facili navigatione sisterentur: unde per Moscoviam opportunis plerumque fluviis in oppidum aliquod maris Balthici comportatæ, quæstu incredibili distraherentur. Quod commodius longe iter visum est, cum ad sanum Archangeli majori circuitu & periculo navigatur. Non nuper hoc consilium Moscus concepit: vetus illud est, ut ex Paulo Jovio discimus; (Z.) quod hæcenus dilatatum desperatumque vesano impetu jam exsequi statuit. Et quis speret hisce finibus tantam contineri posse licentiam? Quæ, ruptis semel repagulis, latius evagaretur, atque novos Attilas, novosque Tamerlanes, flagella Orbis, produceret, sanguine, atque cædibus finitimas circumcirca regiones inundaturos. Quam enim proclive esset, ex vastissimis terris, latissimisque ferarum Gentium sedibus, nubem cogere horribilem, tempestatem à se daturam, nullis viribus, nulloque humano consilio postea evitabiles. Et quemadmodum prima vis ac ferocia Svecis incumberet; ita illis, quod absit, debilitatis, quin eadem omnes maris Balthici accolas majori postea violentiâ corripere, dubitari nequit. Cernebant tunc myaparonum piraticis rostris sterni maria; in vehi classibus truculenta Barbarorum agmina; populari urbes; regiones cultissimas in solitudinem redigi; dissipari negocia; miserandum in modum cædi, aut in scædissimam servitutem abstrahi omnis sexus mortales: ne illis quidem ipsis, qui furiosis Moscorum destinatis jam lenocinantur, innoxium lætumque spectaculum.

Sed meliora sperare jubet immensa DEI bonitas, qui hanc pestem à nobis avertet: & sicut singulari providentiâ invictum Svecorum robur, tanquam propugnaculum, furori huic opposuit; ita porro eorum animos ad avitam veteremque gloriam inflammabit, addetque dignam justissima causâ fortitudinem. Eundem, supremum rerum omnium arbitrum & rectorem, Sacra Regia Majestas Sveciæ invocat testem suæ innocentiae, ejusque Divinam opem implorat, plena spei ac fiducia, ut, qui flagitia omnia detestatur, nunc quoque temerati sanctissimi nominis sui poenam à scædis ac perjuri-

G

ris

ris expetat. Confidit denique non defuturum sibi favorem bonorum omnium, qui contra Juris Gentium violatores, contra perniciosissimas Machinationes, pro communi denique causâ confligentem, quantum opibus possint, votis certè & faustis acclamationibus juvare atque prosequi non cessabunt.



Lit. A.

Artic. 24. Pacis Cardisiensis, 1661.

**S**I qua controversia inter utrasque partes suborta fuerit, tunc Praefectus & minister istius partis, quae injuriam sibi inlatam putat, Praefecto alterius partis & magni Domini eam indicabit, qui absque morâ convenire debent in limite utriusque Regni, vel, aliquot honoratos & bona fidei viros ab utraque parte denominare, qui hasce lites legitimo modo examinent atque amicè componant.

Artic. 25.

Si autem negotia majoris momenti inciderint, quae componere non possunt Provinciarum limitaneorum Praefecti ac Gubernatores, ista tunc ambobus magnis Dominis significabuntur. Si tunc magnis Dominis placuerit mittere suos Legatos vel alios, quoscunque voluerint, ad has lites componendas, earum cognitio tam diu differetur, donec ab utriusque partis magnis Dominis aliquot ad eas examinandas mittantur, qui in ipso limite vel abicunq̄ue ex consensu utriusque partis commodissimum visum fuerit, liberè ac amicè convenient, atque sic propter ejusmodi negotia convenientes, absque morâ ex justo & equo omnia decident. Praterèa hac perpetua pax nullis de causis, & nullo modo abrumpenda est.

Lit. B.

Juramentum Czari pro conservanda æterna pace.

**G**RATIÀ Dei in Trinitate culti Nos Czarus, Petrus Alexii filius, ejusdem Dei nostri servus, spondemus coram Deo atque hoc sancto Evangelio, nos omnia quae cum in N:e Czar: M:tis ultimo ratihabitionis diplomate. tum in S:e R:e Majestatis Sveciae literis confirmatoriis per omnia conveniunt, expressa sunt, sanctè & fideliter servaturos, atque inviolate impleturas esse. Moscuae 1684. d: 20. Maji.

Diploma ratihabitionis.

Nos Dei gratiâ magni Czari & magni Domini, Johannès Alexii filius, & Petrus Alexii filius, Nostro nomine, & Nostrorum Dominorum Heredum, qui post Nos futuri sunt magni Domini, & magni Principes, promittimus per animas Nostrarum Czar: M:tum & in Christi Dei Nostri sanctissima Evangelia spondemus, Nos magnos Dominos N:e Cz: Majestates, æterna fœdera Cardisiensia, & pacta Plyensia per  
Legatos

Legatos confecta, ut & conventionem Moscuensem, sancte, perpetuo & inviolate, sine ulla mutatione, servaturos, secuturos atque impleturos esse, in omnibus clausulis, juxta eas conventiones, quas magno Domino, S:æ Cz: Majestati, Parenti Nostro beate & aeternæ memoriæ, cum V:æ R:æ Majestate, & regno Sueciæ, per supradictos magnos Legatos, in congressionibus ad Cardisiam, Plysam & Moscuæ institutis, inire placuerat. Moscuæ 1684. d: 20. Maji.

#### Alterum Petri Alexii diploma ratihabitionis.

Nos Petrus Alexii filius, Dei gratiâ magnus Russiæ Czarus, pro Nolis & Nostri Dominis Successoribus, futuris magnis Dominis, & magnis Principibus Russiæ, hoc ratihabitionis diplomate affirmamus, Nos, magnum Dominum, N:im Cz: Majestatem, perpetuum hoc Cardisiense fœdus, pacta Plysensia, per Legatos Nostros utrinque confecta, simul & conventionem Moscuensem, fideliter, constanter & inviolate servaturos, sine ulla mutatione, eaque in omnibus clausulis juxta pactorum tenorem secuturos esse. Moscuæ Anno 1699. d: 8. Nov.

Ex literis, quæ ad S:m Regiam Majestatem cum Legatis domum redeuntibus missæ sunt,

Nos Petrus Alexii filius &c. declaramus, Nos velle juxta tenorem aeterni fœderis Cardisiensis, pacti Plysensis & Moscuensis conventionis, cum R:æ V:æ Majestate in amica vicinia & perpetuo amore persistere: cujus rei gratiâ & nos R:æ V:æ Majestatis diploma confirmationis à Legatis R:æ V:æ Majestatis suscepimus; atque pariter hoc nostra ratihabitionis diplomate supradicta fœdera atque pacta confirmamus, quæ inviolata in posterum tempus manebunt. Moscuæ 1699. d. 20. Novembris.

Lit. C.

#### Literæ Czarii Moscorum ad Sacram Regiam Majestatem Sveciæ, 1700. d: 24 Aprilis.

**N**os Dei gratiâ magnus Dominus Czarus ac magnus Princeps, Petrus Alexii filius (tit:) Vobis, Potentissime ac Serenissime Princeps, Domine CAROLE, Rex Svecorum &c. (tit.) Regiæ Vestræ Majestati salutem amice deferimus. Placuit Nobis Nostræque Czaricæ Majestati ad Regiam Vestram Majestatem mittere nostrum intimioris admissionis cubicularium & Knesum Andream Chilcovium, ut indicaret adventum nostrorum magnorum & plenâ potentiâ instructorum Legatorum, quos Nos magnus Dominus, Nostra Czarica Majestas, vigore perpetuæ pacis, adque eandem porro confirmandam, ad Vestram Reg: Majestatem destinavimus, quorum adventum coram V:æ R:æ Majestatis magnis & plenipotentiariis Legatis, per Ne: Czaricæ Majestatis Senatores in colloquio Moscuæ habito jam tum significavimus, nulli Nos magnus Dominus, Nostræque Czarica Majestas, dubitantes, quin Vestra Reg: Majestas curet, ut iidem nostri magni Legati, juxta tenorem aeternæ pacis, pro dignitate excipiantur in vestris finibus, & ad regiam vestram

sedem debito modo deducantur. Eidem autem nostro a legato, Nos magnus Dominus Nostra Czarica Majestas, in mandatis dedimus: ut postquam nostrorum magnorum & Plenipotentiariorum Legatorum adventum significaverit, ad aulam Vestra Regia Majestatis postmodo ut Residentis permaneat, secundum conventionem Moscuae, inter Regia Vestra Majestatis magnos & Plenipotentiarios Legatos nostrosque intimos Consiliarios, factam. Quare Nos magnus Dominus desideramus, ut, ratione amicitiae viciniae mutuique amoris, velit Vestra Regia Majestas hunc modo nominatum Residentem ad suam regiam admittere, atque cum debito honore ibidem commorari sine re, & praeterea jubere suos subditos, ne ipsi faciant impedimenta in communicandis Nobiscum omnibus, quae scire nostra interest. Denique Nos magnus Dominus, Nostra Czarica Majestas optamus Vestra Regia Majestati multorum annorum salutem & incolumitatem, atque in vestro regno felicissimum imperium. Scriptum in nostro regno atque regia, in magna Czarica Urbe, Moscua, anno post natiuitatem Salvatoris nostri Jesu Christi, 1700, die 24. Aprilis, imperii nostri anno decimo octavo.

Lit. D.

Literæ Knipercronæ, qui Residentis munereungebatur  
in Aulâ Moscicâ, datæ Moscuae 1700. d: 16. Maij.

**S**a: Czarica Majestas, die 14. hujus mensis, salva & incolumis ab oppido Voroniciâ huc rediit, atque die insequenti me domi meae convenit. Inter alia effusa benignitatis pignora, sanctè affirmavit, nihil se contra Sm: Rm: Majestatem Sveciae mali cogitare vel moliri. Uxorem meam joco increpuit, quod filia scripisset, destinare Czar: Majestatem cum exercitu versus Livoniam proficisci, & propterea nos omnes Moscuae magno in timore vivere: Filiam, inquiens, tuam effusius lacrymantem consolari vix potui; & inepta, dixi, tu non meliora de meo animo speras? putasne me injustum bellum Regi Sveciae illaturum, rupturumque aeternum foedus, quod servaturum me sanctè promiseram? Imo ita se benignam clementemque gerebat, ut prae gaudio à lacrymis abstinere vix potuerimus. Cumque implorarem, ut ignorantiam uxoris meae excusaret, me familiariter amplexa est. Inter alia, singulari planè affectu Sa: Czar: Majestas dicebat Regem Poloniae vel Rigam occupaturum, vel suas vires omninò attriturum, cum alioquin ignoraret, ubi commodè vitam degeret. Atqui, subjecit, si Rigam Svecis adimat, eam tamen non retinebit: illam ego profectò manibus ejus eripiam. Constantinopoli nihil certi de pace allatum est. Moscua d: 16. Maji 1700.

Lit. E.

Et literis Legati Svedici, illustris Viri, Lilierotii,  
Hagæ 24. Julii 1700.

**P**reterito die Martis me convenit Legatus Moscicus, atque inter alia iterum iterumque pluribus verbis testatus est Principis sui sincerum firmumque propositum colendi cum Vestra  
R:gia

Regia Majestate amicitia. Ego rursus affirmavi Reg: Vest: Majestatem nunquam habuisse fidem malevolorum falsis rumoribus, sed fiduciam certissimam ponere in Czari candore atque constantia, quietiam à sua parte sibi polliceri posset, Regiam Vestram Majestatem nihil pretermitturam esse, quod ad hanc amicitiam porro confirmandam augendamque faceret. Et cum pacis negotium cum Rege Poloniae commendasset, addidit, consultum Regi illi fore, ut quantocius Regia Vestra Majestati conciliaretur, quum nulla omnino spes esset auxilii à Czaro impetrandi. Interea E: Br: secretarius, heic locorum commorans, retulit, quod quamvis Czarus hac ratione mentem suam declaravit, non tamen certo quis promissis ejus fidere posset. In proclivi enim esse, sua promissa in alium sensum detorquere, quasi nollet pacem cum Regia Vestra Majestate factam violare, verum ne impediretur, vigore fœderis cum Rege Poloniae imitti auxilia ipsi mittere. Quamobrem, sicut Legatus Moscovicus mihi propiorem amicitiam obtulerat, atque rogaverat, ut ipsum non celarem, si quando sinister aliquis rumor de Czaro spargeretur; et hac occasione captans mentem ejus explorandi, Secretarium Hildebrandum ad eum misi, qui prout inter nos conventum fuerat, rumores hosce indicaret. Laudavi hanc fiduciam Legatus, sed juxta hæc summo per admiratus est, ejusmodi rumores absque fundamentis spargi, dixitque absurdam esse hominum arrogantiam, qui penitus in intimiora Czari consilia penetrasse se putaverint, quàm ille ipse, cui ista utique nota esse debeant. Czarem suum animum sinceris explicatis verbis, quibus R: a V: a Majestas tuto confidere posset. Quæ ipse mihi dixerat, vera esse atque firmâ: cæterorum fabulas contemni debere.

Ex libello memoriali præpotentibus fœderati  
Belgii Ordinibus exhibito d: 4. Septembris 1700.

Memoratus enim Czar: Majestatis Legatus plus una vice hanc domini sui clementissimi mentem testatorem reddidit, idque validissimis declarationibus constitutum ei esse, non tantum bello, quo Livonia flagrat, se non immiscere, sed & amicitiam cum S: a R: a M: te omni exquisito officiorum genere excolere; calumniam appellans, quicquid huic adversum maligni homines divulgare conati sunt. Usus est hæc occasione verbis memoratu profecto dignis, utpote immortale decus Czariæ suæ Maj:ti conciliaturis, & quæ præclarum exemplum præbeant aliis, nisi sinistra viliorque mens esset, imitandum. Hæc scilicet verba fuerunt: Serenissimum Czarem ita in animum induxisse suum, ut ante omnia fidei data religiosissimus cultor audire velit: memorem nimirum esse, insidere se solio nulli totius Orbis potentiâ secundo, sed ad cædem tam excelso loco positum, nihil nunquam committere velle, quod tanto fastigio minus dignus cuiquam videatur: aversari igitur se & adspernari quocumque indecorum facinus, quod præsens vel futura ætas ipsi exprobrare possit: id quod fieret, si amicum Regem, nullâ injuriâ laceffens, bello adoriretur.

Lit. F.

Epistola Czari ad Regem Poloniae,

Frater dilectissime & Domine vicine.

**N**on dubium esse debet, quin propositum nostrum res ardua hætenas morata sint: quoniam tamen nunc, auxiliante Deo, pax cum Turca triginta annorum sancita est, & quædam conditionibus non penitendis; jam toti in eo sumus, ut quamprimum bellum Regi Sveciæ inferatur, & facta in hostiles fines irruptione, loca opportuna occupentur. Quem in finem legiones nostras, quanta possumus festinatione, præmissas ipsi circa finem hu-

mensis insequi cogitamus, pleni spe, & Dei auxilio confidentes. Speramus igitur votis dilectionis vestrae abunde satisfactum iri.

Mosc: d: 9. August.  
1700.

Vestrae Majestatis bonus frater.  
Petrus.

Lit. G.

Ex memoriali libelli Legati Moscovici ad Ordines foederati  
Belgii d: 2. Sept. 1700.

Celsi ac Praepotentes Ordines,

**C**um mihi litera die 16. Junii, Moscoviae exarata, posteriori demum nuntio, Augusti die 18. hic tradita sunt, quae quoddam mandatum suae Czar: Majestatis contineant, quod V. C. ac P. D:bus absque ulla mora insinuandum sit, ideò mearum partium esse duxi, illud cum illis communicare, demonstrans tenorem illius sequenti modo: Quod cum de responsione certior facta sit sua Czar: Majestas à C:is ac Praep:bus V:is statibus, illos perbenigne accepisse, (quod sua Czar: Majestas bello Livoniensi cum Corona Svecicâ sese immiscere noluit) hoc admodum contenta est, hanc eam demonstrationem suam nunc illasè observare, ac pacem absque offensione cum Corona Sveciae, ob petitionem cels. ac praep. statuum conservare velit.

Ex libello ejusdem die 6. Octobris, 1700.

Deinde recepto etiam Suae S:ae Czar: Majestatis, clementissimi Domini, perbenigno mandato, in colloquio V:rum C:um ac P:ium Dom:um, Dominis tum temporis existentibus de P:itatis, Domino Ham, ceterisque demonstravi, quod Sua Czar: Majestas superiorem suam declarationem Vestris Dom:ibus factam, ad pacem juxta requisitionem V:rum Dom:um cum Coronâ Sveciae conservare velit, sed ut celsae Vest:ae Dominationes finaliter demonstrarent Ministro Svecico, ac Regia Maj:ti Svecicae transcribant de sequenti negotio, quoniam in praesentia ac commoratione magnorum ac plenipotentiariorum Legatorum Svecicorum, Moscoviae ipsi dictum fuit sufficienter cum requisitione, de communibus injuriis in partem S:ae Czar: Majestatis, clementissimi mei Domini, maxime autem de ea quae ad dedecus S:ae Czar: Majestatis pertinet, ac Rigae ipsi illata est, cum toti ferè mundo constet, S:m Czar: Majestatem Rigae fuisse praeteritis annis, ac iter suum intendisse versus Bataviam,

Lit. H.

Libellus Legati moscovici,  
qualis Latino Sermone praepotentibus Belgii  
foederati Ordinibus exhibitus est.

Celsi ac Praepotentes Domini,

**C**um mihi litera die 16. Junii, Moscoviae exarata, posteriori demum nuntio, Augusti die 18. hic tradita sunt, quae quoddam mandatum suae Czar: Majestatis contineant, quod V. C. ac P. D:bus absque ulla mora insinuandum sit, ideò mearum partium esse duxi, illud cum illis communicare, demonstrans tenorem illius sequenti modo: Quod cum de responsione certior facta sit sua Czar: Majestas à C:is ac P:bus D:is statibus, illos perbenigne accepisse (quod sua Czar: Majestas bello Livoniensium, Corona Svecicae sese immiscere noluit) hoc admodum contenta est, hanc eam demonstrationem suam nunc illasè observare, ac pacem absq; offensione cum Coronâ Sveciae,

ob



ob petitionem Celsi ac Præp: Statuum, conservare velit. Tantum desiderat apud illos Celsos ac præp: Dominos Status, ut finaliter significant Ministro Svecico ac Suae Regiae Majestati scribant, quod in commoratione magnorum ac Plenipot: Legatorum Svecicorum, Moscovia locutus sit illis intimus Bojarinus ac Prorex Siberiae, Theodorus Alexides Golovinus, cum Collegis, de communibus injuriis in partem suae Czar. Majestatis, maximè autem inter alias, de hac, quae in dedecus ipsius Czar. Majestatis personae illata est Rige, cum toti ferè mundo constet, quod sua Czar. Majestas praeteritis annis Rige fuerit, indeque in Bataviam proficisci voluerit, quod se quoque favuros ac relatores esse absq; ulla morâ ad Sacram Reg. Majestatem in reditu suo promiserunt, quâ de re etiam illis scriptum traditum est, cum subscriptione manuum supradictorum Consiliariorum Moscoviae, sed hoc usq; ad tempus nullum responsum secutum, nec ulla adhuc satisfactio praestita est. Quamobrem, Celsi ac Præp: Domini, his benè ac prudenter perpensis, de injuria ipsius personae suae Czar. Majestatis satisfactio vindictâ dignâ scribant. Quae autem & quales illae sint injuriae, C. ac Præp. D. D. fusius exponetur in adjuncta charta, quibus interea perpetua prosperorum successuum incrementa, apprecor, mansurus ad quævis amicitiae officia paratissimus. Haga Com: die 2. Septembris, Anno 1700. Signatum erat: Suae sacratissimae Czar. Majestatis, magnipotentissimi Imperatoris Moscoviae, intimus Okolnicki, locum tenens Jaroslavius, Legatus.

Andreas Artemonides Marviecz.

Adjunctus erat libellus hic, causas belli continens.

Cum, anno 1697, Czar. Majestatis magni ac Plenipot. Legati, ex mandato iter suscepissent Moscoviam cum quibusdam praclaris voluntariis (volontaires vulgò sic dictis) in regna Europea per ditionem Suae Regiae Majestatis per urbem Rigam, tunc in praefata urbe non tantum in receptione juxta observantiam tractatus pacis, sed etiam in commoratione, maximè autem in discessu, illi non tam satisfacti, quin potius injuriâ ac opprobrio affecti & inimicè tractati sunt, cujus hic ex parte mentio fit. Certior enim factus Dominus Generalis ac Gubernator urbis Rigensis, per literas ipsorum de adventu magnorum & Plenip. Legatorum in confiniam, nescivit illos juxta dignitatem recipere, ac idoneos praefectos receptionis (Pristavos) nec equos illis mittere, aut pabula dare, non modò ob amicitiam vicinam, aut alias ob causas, sed illud quoque nequaquam pecuniâ expeti potuit, quâ ratione usq; ad Rigam iter suum maxima egestate in suis equis prosequi coacti sunt. Rige autem non modo ab honestis viris & nobilitate in receptione honorati ac recepti non sunt, sed à parvo numero mercatorum ipsis occursum factus est. Assignata sunt ipsis domicilia haud bona & quidem mercatoria, pro quibus autem illi coacti sunt solvere pecuniam pro talibus ligneis hypocaustis, pro qualibet domo tantum, quantum pro magnis lapideis palatiis. Ad hac, à nemine, re ulla, honoris gratiâ donati sunt, (quod etiam non desiderarunt) sed ignominiosè tempore diei sanctae resurrectionis Christi, cæterisque

omnibus diebus, nihil, pabula pro equis, vendiderunt, quod autem illi vendiderunt pro hoc, quamvis Legati isti magni pecunie non pepercerint, plures decies sibi solvi curarunt. Apud aurigas (Muscoviticos) etiam equos bonos pro pretio minimo ob invendibile pabulum decem stiveris (solidis) & paulo pluris quasi sub venditione sumserunt. Personis, ac servos ad legationem pertinentes, absq; vigilibus nullibi ire aut transire non siverunt, ac quemcunq;, quascunq; etiam ob causas ire voluerint, sequuti sunt milites duo, aut plures tanquam maleficum, & plures sex hominum numero non intromiserunt in urbem, nec etiam in arcem ad Gubernatorem, sed præterea graviter in eos inveci sunt, ac contumelia eos affecerunt, & istis loco capitalium hostium ac exploratorum habuerunt. Ad hac illos percutere ac detinere gloriati sunt, quod autem manifestum Dei patrociniū non permisit. De ceteris autem verbis melius tacere quam scribere convenit: quod autem omne, ob malam administrationem, à Domino Generale ac Gubernatore consulibusq; provenit. Quamvis autem sua Czar. Majestatis magni Legati, de hoc & alio multoties præclaros suos nobiles ad eum miserint, conquerentes de suo infortunio, attamen ille non tantum ipsis in hac re auxilium ferre recusavit, sed etiam eos magnos Legatos consolari ac delectare noluit. Monstrans sensibile ad amicitiam fastidium simulatè dixit se jacere agrotum ob obitum plie sue, quam ob causam se Dominos Plenipot. Legatos invisere non posse, cum tamen hoc nihil fuerit.)

In discessu magnorum illorum D: ac Plenipot. Legatorum ex Rigà, trans fluvium Duinam, eos non modò quibusdam navibus honestioribus (Jachti & Boot) non honoravit, sed etiam pro parvis ac ferè deformibus scaphis, cum quibus eos milites ac alii mercede conducti aurigæ transvexerunt, pretium sumptum est tantum, quantum pro navibus, & ad consinia usq; Ducis Curlandiae deducti sunt illi absq; ullo honore atq; comitatu. Cursor magnorum ac plenipot. Legatorum Jacobus Surawetz missus è Curlandia in Rigam, à Domino Generali Gubernatore tres dies detentus, & examini subiectus est, ut diceret, ubi sua Czar. Majestas nunc degat, & alia huic contraria verba; præterea lustrationi ac visitationi expositus, atq; summo opprobrio affectus est, ac ignominiosè tanquam inimicus & captivus in arresto detentus, & non modò scripta aut literæ, sed etiam res penè omnes ei ablata & accuratè perlustrata fuerunt, quem demum, cum nihil contrarii in ipso invenissen, cum omni exactione ac dedecore miserunt. Adhuc etiam erubescunt illi grati Domini, illis magnis ac plenipot. Legatis sue R:æ Majestatis præter alia cujusdam barbaricæ ac indise suspensionis Domini Generalis ac Gubernatoris Rigensis reminisci, quod multifariam ad magnos ac Plenipotentiarios Legatos mittens, asperè vociferatus sit, quasi quidam ex ministris ac personis ad Legationem pertinentibus, circumeundo urbem fortalitia ac munimenta lustrerent, ac dimetiantur, vociferationes, turbines ac quemcunq; tumultum excitent; quod verò sub verà promissione non factum, & omnes cum vigilibus ire cogebantur. Ad quid

Sue

Sue Czar. Majestatis magni ac Plenipotentarii Legati re Sponderunt, ut illud facientes, si modo quidam ex ministris Legatorum, cujuscunq; conditionis iste persona sint, tanquam malefici, juribus quibuscunq; illi velint, capti fuerint, dijudicarentur, propterea quod nobis certo certius constet, hoc ab ullo ex illis fieri. Cum autem, tempore vernali ingruente, magni ac Plenipot. Legati naves sibi procurare desiderarent, ad conficiendam sibi propositam viam, mittendo quosdam ministros in portum ad mare situm, ut naves istas praesentis Generalis ac Gubernatoris lustrarent, tunc non tantum istos non per urbem, vel propè urbem transmiserunt viâ ordinariâ, sed eos circa omnia suburbia, in agro circumduxerunt, militibus circa plateas cum sclopetis stantibus. Sed de aliis scribere non necesse est, quia jam toti mundo notum & compertum est, quod Sua Czar. Majestas ipsa in persona illo tempore cum magnis & Plenip. Legatis praesens fuerit, & haec supra memorata omnes contumeliae ipsam personam illius tetigerunt. Quapropter Sue Czar. Majestatis intimus Bojarinus cum Collegis suis existens in colloquio, Sue Regiae Majestatis magnos ac Plenipot. Legatos rogat, ut de his omnibus ad S. R. Majestatem verè deferatur, & Sue Czar. Majestatis summo honori, & post ipsum magnis ac Plenipot. Legatis in omnibus satisfactio ac defensio ab illâ injuriâ fiat; siquidem hæc injuria ac dedecus non tantum tractatibus pacis & vicinitati admodum contraria ac insensa, sed etiam juri communi Gentium valdè incongruens atque inutilis audit, de quo non dubitat clementissimus Noster Czar ac Dominus, quin Sua Regia Majestas, tanquam Dominus valdè prudens, perpenso hoc, quod ad majorem amicitiam pertinet, dederit, defensionem adversus hanc contumeliam perpetrantes, & Sue Czar. Majestati per dilectas literas significaverit. In damnis autem suis illi magni ac Plenipot. Legati contenti sunt gratiâ ac clementiâ clementissimi Czaris ac Domini Sue Cz. Majestatis.

Ad hæc affert quoq; querelam Sue Czar. Majestatis Legatus, intimus Consiliarius, revertens ex Turcica commissione, Procopius Bodganovitz Vosnitzin, dicens, quod fures rustici Livonenses aurigæ ipsum innocenter exspoliaverint, avehendo totum currum, in quo pecuniæ, argenti & alius variae suppellectilis plus quam mille Rublonibus positum fuit, de quo Domino Generali Gubernatori cum literis ejus specificatio missa, sed nunc eis accuratè perlustratis rebus, præter istam specificationem refert, quod istuc etiam in cistâ fuerit annulus cum adamantibus obductus, pretio 300. thalerorum, & 2. tapetes Gallici admodum pulchri.

Sequentes injuria, quarum infra in hoc scripto fit mentio, desiderat Sue Czar. Majestatis intimus Bojarinus cum collegis, ut etiam parte R:æ S:æ Majestatis juxta veritatem ipsam, satisfactione resarciantur, in quonæc dubitant, quin Sua Regia Majestas, post relationem illorum magnorum ac Plenipotentiar. Legatorum, ipsam justitiam, ad implendam amicabilem pacis conservationem, in perpetuum administrari, ac illam dignis solutionibus recompensari jubeat. Sed hæc infra nominata injuria

tradita sunt juxta libellum præfati summi cursorum, Matthæi Winnii, de multis injuriis in præfectum ac directorem postæ Rigensis, quia multas literas detinuerit ac resignaverit, nec non multas literas non acceperit, ut directione postæ privetur, & ipsi alius præficiatur. Libellus supplex Gorasini Bielscovii ex vico hortulano de pecuniâ pro mercibus in Rigensem civem, Henricû Cliverum, summa mille rublonû thalerorû, summa expensarû 300. rubl. ut hæc pecunia adjudicetur. Libellus Ostarkowiensis Anthonii Fokini in Narvenses vires, in Henricum Funekenum & Simeonem Numenssenum, de pecuniâ pro mercibus, summa 600. rubl., ut mandatum executioni mandetur. Supplicatio & extractum negotii Thomæ Kellermanni in bonis Martini Bucklingii, summa 2000. rubl. Supplicatio Boldovini Andreæ filij, in aulicum Svecicum, Carstenium Klingenssternum, in defectu traditionis velarium linteaminum ac tormentorum, summa 3000. rubl.

Lit. I.

Vid. novissima Moscoviæ descriptio, quæ Norimbergæ typis impressa anno 1687, in octavo prodiit: pag. 243. & 383. seqq.

Lit. L.

Articulus 15. pacis Cardisiensis.

**P**ari modo conventum est, ut magni Domini, Sæ Cæ. Majestatis Legati, nuncii ac tabellarii, cum omni suo comitatu & bonis, libere, tranquille & absque ulla detentione proficiantur per omnes potentissimi Domini, Sæ Ræ Majestatis provincias ac regiones, ad omnia circumjacentia regna & nationes, quibuscum Regiæ Majestati bellum nullum intercedit, atque eodem modo in Moscoviam redeant: nullos tamen mercatores cum mercibus suis secum ducant. Inprimis cautum est, ne utriusque Principis Legati, nuncii & tabellarii, quando ad magnum Dominum cujus per regionem proficiuntur, a magno Domino, qui eos miserat, nulla mandata aut negocia expedienda habent, quidquam viatici exigant, sed suis impensis iter instituant. Propter amicitiam tamen, quæ inter utrosque magnos Dominos viget, eorum Legati, nuncii ac tabellarii ad iter accelerandum ac promovendum utrinque omni studio ac operâ juvabuntur.

Lit. M.

§. 16. Pacis Card.

**P**reterea potentissimi Principis, Sæ Ræ Majestatis Sveciæ, magni Legati, qui ad magnum Dominum, Czar. Majestatem cum literis confirmatoris pro hæc æterna pace, aut aliorum negotiorum causâ, missi fuerint, à Czar. Majestatis Bojaris, præfatis & ministris, honorifice atque eo modo, qui Legatorum dignitati convenerit, ad limitem regni excipientur: inde sufficienti & necessario præsidio, comœatu, viatico atque jumentis advenituram subministratis, Moscuam usque, vel ad illum locum, in quo Czar. Majestas commoratur, deducuntur: & rursus, cum domum revertantur, tuto & debito cum honore ad fines Svecicos sistuntur; adeo ut nusquam a Cz. Majestatis ministris vel subditis ulla injuriâ aut ignominia afficiantur. Confecto autem negotio, cujus gratiâ advenerant, sine mora limitentur: neque in hoc itinere aperte vel per clandestinas machinationes ullum eis incommodum inferetur: neque literæ vel alia scripta eis auferentur.

§. 4.

§. 4. Pacti Moscuensis, anno 1684. d: 22. Maji.

*Inter magnos quoque Principes utrinque conventum est, ut eorum Legatis, ablegatis & nunciis loco cibariorum potuumque varii generis, quæ hæcenus data sunt, in posterum equalis utrinque pecunia detur, nempe Legatis magnis & Plenipoteutiariis centum, ablegato triginta, nuncio decem unciales thaleri quotidie solvantur, quamdiu iter faciant, sive advenientes sive abeuntes, & quamdiu ad aulam Principum commorentur, quolibet unciali, si minuta vel alia moneta exhibeatur, ad estimationem unius thaleri imperialis, quantum isto tempore valeat, expendendo. Præter hæc equi ad vecturam Legatis magnis quadringenti, ablegato 100, nuncio 30, sine mercede præstabuntur: commoda insuper hospitia, aqua, candela, ligna, quantum opus sit, subministrabuntur.*

Lit. N.

Ex literis Knipereronaë, Moscuæ scriptis,

anno 1697, d. 16. Julii.

**P**ostquam aliquantum secessimus, literas mihi ostendebat a principe Legationis ad se Rigâ missas, in quibus Generalis Gubernatoris prudentissimam dispositionem, præsertim militarium humanitatem, & officiosam conversationem, militumque peritiam & promptitudinem summis laudibus prædicabat.

Lit. O.

Epistola Lefortii ad illustrissimum Senatorem, Præsidentem  
Cancellariæ, & Acad. Upsal. Cancellarium, Dn. Comitem  
Benedictum Oxenstirnam.

*Illustrissime & generosissime Domine Comes.*

**Q**uoniam satis certus sum de amicitia firma & amore mutuo, qui inter magnos Dominos nostros, Czaricam Majestatem, Dominum meum clementissimum, & potentissimum Dominum vestrum, Suam Regiam Majestatem intercedit, sicut etiam de constanti affectu, fidaque vicinitate, quæ inter ipsorum regna est; ideo ausus sum ad Excellentiam Vestram, Dominum ac Fratrem meum, pari intentione, ac benevolentia amica, literas hæc scribere: quibus simul aperire volui, jussu Domini mei clementissimi, me Legationem suscepisse, eamque ad obeundam, nunc in itinere Hollandiam versus constitutum esse. Hic vero ex insperato relatum mihi est, in regno Poloniae Senatores quosdam, oblitos publici commodi, Legum atque libertatis istius regni, planeque immemores fæderis cum Principibus Christianis adversus hostem sanctæ crucis initi, pactorumque solenniter sancitorum, eligere, atque in Regem regni Poloniae, ut & magni ducatus Lituaniae, sibi adoptare velle, ex voto atque clandestinis cum Gallo conventionibus, Principem Gallie Contium. Quem in finem communes Christiani Orbis hostes, Sultanus Turcicus, & Crimaus Chanus cooperantur, quod ut perficerent, Legatis suis in Poloniam missis, hæcenus laboraverant, et jamnumque omni ardore laborant. Quod si vero ex voto conatus illorum feliciter procederent, atque prænominatus Princeps Contius regnum Poloniae adipisceretur omnino inimicis sanctæ crucis ingens gaudium obringeret; fæderatis contra Principibus Christianis, ne cogitata sua in actum deducere, hostemque istum debellare possent, impedimentum difficillimum oboriretur. Quare necesse est, ut mature conatibus ejusmodi obviam eatur, vasæque machinationes communis Christianorum hostis Sultani Turcici, & sociorum ejus, caute præveniantur. Atque in eo jam Dominum magnum nostrum, Czar. Majestatem, æque ac S:am R:m Majestatem vi pactorum Car:disiensium æterna fide stabilitorum, apprime consentire & convenire credo, quandoquidem in

is exprimitur, ut alter alterius commoda quærat omnique ex parte bene cupiat. Si vero Princeps iste Contius, gente Borbonica satius, permittente ita DEO, regnum Poloniae atque Lituaniae assequeretur, quilibet vicinorum amicorum, quem diligenter caveret, adiunctum sibi cerneret. Quapropter conveniens duco, ut Dominus magnus noster, Czartea Majestas, & potentissimus Dominus vester, S:æ R:æ Majestas, consentiant in mutuum fœdus adversus eum, ne hostes illi advertentes, quantum quisque bello adversus sanctæ crucis hostes occupatus sit, noceant alterutri vicinorum Dominorum. Atque hæc jam propositum num placeat potentissimo Domino vestro, S:æ R:æ Majestati, est, quod rogo, rescribat propediem Dilectio Vestra, Frater meus. Quod si Regiæ Majestati id gratum visum fuerit, atque, permittente ita Deo, coronam Poloniae impetraverit Contius, tunc ego, qui ex Czar. Majestate speciale mandatum habeo ex Hollandia istud negotium tractandi, cum tota Legatione Stockholmiæ proficiscar, ut illud præsens perficiam & obsequem. Dum proinde expecto benevolam obtatamque responsionem, commendo Dilectionem Vestram, Dominum meum & Fratrem, omnipotentis Dei tutela qui sum.

Liebstadii die 20. Augusti S. V.  
Anno 1697.

Excellentiæ Vestræ  
promissimus servus,

Le Fort Gen: Am: Amb: extr: v: Roy  
de Novogrod.

Ad eundem,

**E**xcellentia Vestra, Domini mei ac Fratris, ad literas meas responsum die 19. Septembris, currentis anni, S:æ R:æ Majestatis extraordinarius Legatus mihi Hage tradidit: ex quo satis intellexi, amicitia atq; fiducia mutua, qua Serenissimus & potentissimus magnus Dominus meus, Czar. Majestas, & potentissimus Dominus S:æ R:æ Majestas, sese invicem amplectuntur, præsens incrementum; atq; proinde etiam addo votum, velit Deus omnipotens benedicere ulterius integritati amoris magnorum Dominorum, ut incorrupta maneat æternum, felicissimoq; statu tutâ semper ac firma vigeat. Præterea Domino meo ac fratri notum facio, mihi nunciatum esse, quod S:æ R:æ Majestas merâ amicitia, pronosq; amore mota, erga magnum Dominum, Suam Czar. Majestatem, ad testandum affectum suum sincerum, in commodum universi Christiani Orbis, quo compleatur armatura classis maritimæ, largita sit trecenta tormenta bellica, quæ Narvam quoq; transportata dicuntur. Certe postquam magnus Dominus, Sua Czar. Majestas, istud comperiit, S:æ R:æ Majestati, sibi tam prone faventi, suppetiasque amice ferenti, ad gratias referendas sese summopere obligatam censuit, gratum in super animum vel per S:æ R:æ Majestatis literas, vel per Legatum extraordinarium, S:æ R:æ Majestati declaratura. Interea autem non dubito, quin Dominus & Frater meus hoc à me jam indicatum S:æ R:æ Majestati fideliter sit relaturus. De cætero sicut epistolâ primâ fusius edisserui de rebus Polonicis, factione Gallicana, & Principe Contio, istorumq; hominum ausibus, ut significarem, quâ vigilantia istas observare deceat, quamq; serio molitionibus eorum occurrere debeat; si quidem consilia hæc, quibus regnum Poloniae subigere intendunt, minime vergunt in usum

usum Orbis Christiani: ita Domino ac Fratri meo, confusus sincera ipsius in me benevolentia, celare nequeo, dubium mihi quoddam movere nuncios hinc inde allatos, atque imprimis mundum univ[er]sum peragrantes novellas, quibus enarratur Legatum Gallicum, Comitem d' Avaux, omnem navare operam, ut aulam Svecicam in partes Principis Contij trahat. Equidem fateor me parum fidei illis tribuere, neque ullo modo dubito de constanti & immutabili amicitia, charitateque mutua inter Dominos magnos nostros, S:m Czar. & S:m Regiam Majestatem, per conservationem fœderis & aeternae pacis, & quidquid porro ad majorem certioremq; securitatem utriusq; Domini magni, ipsorumque regnorum pertineat: non possum tamen non mentionem harum rerum denuo injicere, si à parte Polonorum vel Gallorum in causâ Principis Contii, ipsiusq; cœptis fœdentium, petitiones quaedam utriusque magnorum Dominorum ac regnis ipsorum, Majestatique Regiæ Poloniae noxia deferantur, me, sicut ante dixeram, utilissimum & convenientissimum judicare, ut non modo neutiquam attendantur, sed & prorsus tanquam Orbi univ[er]so Christiano inutiles & nocivæ rejiciantur, amoveantur & in nihilum redigantur. Quippe omni studio cavendum arbitror, ne perniciosi Gallorum motus hisce in terris & finibus nostris, quod Deus advertat! foveantur, multo minus scopum suum attingant, aut ex voto sua peragant. Quod desiderium meum Domino meo & Fratri commendo, clariorem de iis sententiam cum responsione fraterna expectans: quibus Excellentiam vestram tutela Dei omnipotentis committo. Dabam Amstelodami Anno Christi, 1697, die 26, Octobris.

Excellentiæ Vestræ,  
paratissimus servus,  
Le Fort, Gen: Am: Amb: extr. v. R.

Lit. P.

Czari epistola ad S:m R:m M:tem Sveciæ.

**C**um V:æ R:æ Majestate sinceram amicitiam, fidamque vicinitatem colere, Nos magnus Dominus, N:æ Czar. Majestas ex toto animo cupimus, optantes, ut mutuis officiis amicitia nostra in dies crescat, majoraq; capiat incrementa: quod omni loco ac tempore nos quæremus. Sicut autem optamus, ut tormenta bellica, quæ nobis missa sunt, in perniciem & excidium Mahumedanorum, Christiani nominis hostium, feliciter convertantur; ita V:æ R:æ Majestati, amico nostro ac vicino optimo & dilectissimo, pro tam insigni dono gratias agimus summas, atq; promittimus, Nos qualibet occasione operam daturos, ut hæc beneficia demereri possimus. Ultimo, Nos magnus Dominus, N:æ Czar. Majestas Reg. Vest. Majestati volumus indicare, Nos nostro præfecto & Gubernatori magna Novogardie in mandatis dedisse, ut in V:æ R:æ Majestatis regnum atque ad urbes viciniores, Revaliam, Narvam, aliasque nobiles aliquot viros mitteret, qui in usum atque commodum nostrum, inque expeditionem navalem, quam animo agimus, capitaneos, novarchas, gubernatores atque nautas rei nauticæ peritos conducerent; & proinde R:am V:am Majestatem, carissimum nostrum

R

ami-

amicum & vicinum, maximopere rogamus, ut tam illis, qui à præfectis nostris merce-  
de conducantur, quam aliis, qui sponte nomina sua profiteantur, venia concedatur,  
ad militiam nostram transeundi. Quod auxilium tum ad commune rei Christianæ  
commodum pertinet, tum ad augendam, stabiliendamque mutuam inter nos amicitiam  
& caritatem, apprimè faciet &c. Moscuæ d. 1. Decembris, anno 1698.

Lit. Q.

Epistola Apologetica

Illustrißimi Comitis, Erici Dahlbergii, Senatoris Regii, Campiducto-  
ris, & Generalis Gubernatoris Livoniæ, ad S:m R:m Majesta-  
tem Sveciæ, Rigæ anno 1700. d. 18. Martii.

**Q**uanto magis ere putabam esse, Rex clementissime, ad amicitiam vicinitatis firman-  
dam, ut Legatio Moscica quam honorificentissime exciperetur; tanto majori curâ  
& sollicitudine in id incumbendam, ut præ cæteris Legatis, qui per Livoniam antea  
projecti sunt, splendidiori hæc apparatus cultuque ornaretur, equidem nihil mihi fuisset opta-  
tius, quam si a S.æ R.æ Majestate mandata accepissem, quæ in dubiis quibusdam negotiis  
sequerer: verum cum ad interrogata responsum tam celeriter reddi non potuisset, temporis  
angustia me cogebant, ut, aatis ad præfectos Revaliæ Narveque literis, sententiam eorum  
exquirerem, eosque rogarem, ut me certiozem facerent de omnibus, quæ in re simili istic  
locorum observata esse noverint, imprimis, an moris erat, Legatos Moscos ad solennes epu-  
las invitare. Respondebant, usu id nusquam esse receptum, neminem Legatorum, qui per hæc  
Provincias, sive in Sveciam, sive ad extera regna, iter instituisent, publicis convivis adhibitum:  
omnes consuetis honoribus fuisse contentos. Eorum autem nomina, qui, ab anno 1660, ad  
hoc usque tempus, per Estoniam, Livoniam, Ingriamque commeaverant, adjuncta recen-  
sentur chartâ. Interea, quæ ad Legatorum usum necessaria videbantur, diligenter ordi-  
nabam, cogitationesque omnes eo intendebam, ut non tantum exacte ea servarentur, quæ  
pactis præscribuntur; verum etiam ut soliti honores, quantum convenire judicabam, in-  
gratiam horum Legatorum adangerentur. Qui eos Rigam deduceret, constitutus est Glase-  
nappius, vigiliarum præfectus, vir & claritate generis, & summa humanitate conspicuus:  
adjuncti ei Collegæ sunt Dornfeldius centurio, aliusque nobilis, Moscica linguæ peritus.  
His imperatum est, quam primum nunciaretur Legatos Moscuâ abiisse, ut Nyhusam prope  
fines Livoniæ se conferrent, adventum ibi Legatorum præstolaturi. Territoriorum præ-  
fecti jussi sunt mature annonam convehere, equos rhedasque cogere, diversoria cum ad per-  
noctandum, tum ad prandendum commoda designare atque diligenter providere, ne quid-  
quam, quod ad iter rite cœnsiciendum faceret, Legatis deesset. Non segniter illi jussa ex-  
secuti sunt: verum in proposito suo non parum sunt perturbati, cum, quantacunque curâ  
adhibita, expiscari non possent, quo tempore Legati domo proficisci constituisent, mira  
solertiâ abitum suum celantes, ne cuiquam innotesceret Czarum una fuisse profectum.  
Quare aliquandiu Moscuæ severe interdictum erat, ne cursores publici huc mitterentur, de-  
tentis etiam omnibus, qui Livoniam versus iter facerent; quorum e numero interpres no-  
ster, Soldanus, longo tempore Moscuæ subsistere coactus est. Postquam vero commeatus ite-  
rum concessus erat, omnes literæ quæ Moscuâ mittebantur, resignatæ atque perlustratæ sunt.  
Præterea ab illis ipsis fama quæquam versum vulgabatur, Legatos, mutato consilio huc eundi.  
per Livoniam Polonicam iter convertisse. Cum omnes jam in ea opinione essemus, subito,  
Schmidius quidam, præfectus vigiliarum, eam parte impedimentorum huc accesserat: il-  
lum



lum mox infecutus veredarius, literas a praefecto Plefcoviensi adferebat, die 14. Martii scriptas; quibus adventus quidem Legatorum nunciabatur, ceterum quando, aut quo numero nihil additum. Unde factum est, ut tempus sex hebdomadam, cum insigni ruricolarum damno atque molestia, tereretur, antequam fines nostros Legati intrarent, vectoribus toties convocatis, toties domum remissis, quos longa mora fessos atque ludibrio habitos excire tandem difficilimum erat. Cum Legati d. 22. Martii Plefcovia de adventu suo mihi scripsissent, nulla tamen mentione facta, quando ad limitem nostrum accedere decrevissent d. 16. ejusdem mensis in hanc sententiam eis respondebam: quod etiamsi literis meis, quae d. 23. Martii dederam, nihil rescripsisset praefectus Plefcoviensis, neque de tempore, quo adfuturi essent Legati, neque de comitum numero, ullo verbo me certiore fecisset, quod tamen ab eo postulatam, atque fieri equum erat; nihilo tamen minus omni cura provisum esse, ut decenter & condignis honoribus exciperentur, rebusque necessariis sublevati, per hanc Provinciam ducerentur. Sperare me, ipsos benigne candideque accepturos, quae difficilimo hoc tempore, atque insolita annonae caritate, quae hanc Provinciam per aliquot annos graviter afflixerat, in eorum usum conferri possent: cum persuadere sibi deberent, nihil me praetermittere voluisse, quod cum ad amicitiam erga vicinum populum testandam, tum ad conventionem aeternae pacis implendam pertinere judicassem. Longa igitur interposita mora ad limitem tandem improvise apparuerunt, atque in praedio Nybusensi hospitaliter invitati, pernoctarunt. Inde justis itineribus Rigam pervenerunt, deducti ab iis, quibus cura imposita erat videndi, ut, quae ad iter necessaria essent, abunde suppeditarentur.

Quum constaret Legatos haud procul abesse, subtribunum Palmstrauchium, ac vigiliarum praefectum Rauchium, se jure meo vetus, ac stipatus duodecim satellitibus regis, nec non decem meae pedisequis, pro habitu praesentium rerum sat decore ornatis, obviam iis procedere jussi: sequentibus quinquaginta & amplius tam militum ducentorum, quam aliorum in urbe hospitem oppidanorumque curribus, atque uno senis equis juncto, per magistratum urbicum submisso. Hos excepit ordo militarium virorum, non numero tantum, sed etiam cultu atque magnificentia praestantium. Proximi tueri, quos Nigriceps, seu Schwarzenhöfder vocant, pileos albeneibus plumis decoratos, ac vestimenta, auro argenteo, distincta, gestantes. Hoc agmen clausit turma equitum oppidanorum, centum omnino & quadraginta, decoris armis vestibusque, ac strictis ensibus, tubarum etiam ac tympanorum, vexillorumque suorum adparatu superbientium. Quae utique omnia accessum ingressumque Legatorum in urbem ita celebrem ac memorandum reddiderunt, ut vix quemquam reperiri credam, qui neget honores prioribus Legationibus & heic & alibi locorum habitos, modicos omnino fuisse, si cum hisce conferantur. Atque hoc ordine introitum est per portam arenariam, ubi cohors militum in armis stabat, expectatura adventum Legatorum: perterritumque inde per medium forum, pari militum numero infessum, usque ad portam Carolinam; ubi rursum tertia cohors eos operiebatur, continuo tibiarum tympanorumque suorum sonitu, quem admodum & priores illae, perstrepsens. Subeuntem valvas Moscum triginta & duo tormenta bellica explosa salutarunt, totidemque, quum per alteram portam priori oppositam descenderet, ad frequentatum omnibus Moscoviticis Legationibus diversorium, in loco quodam suburbii, Lastadien dicto, detonuere. Cum Legati eo jam deducti essent, ad eos, quo par erat, verborum honore salutandos, testandumque latitiae affectum, quem ex eorum adventu perceperam, Vrangelium praefectum vigiliarum, & Lilliestiernam centurionem, misi; jussos simul indicare, unum optionem quinquaginta militibus, in singulos dies commutandis, succinctum, toto eo tempore, quo in urbe commorari placeret, ad ades ipsorum excubias acturum.

Gratum imprimis hoc officium ipsis fuisse, ex eo apparuit, quod ex templo unum è suis sub-  
 tribunis, una cum quodam alio propinqua cognatione Domino Lefortio juncto, ad gratias eo  
 nomine mihi agendas mitterent. Sicuti autem prædictus Lilliestierna in aula Legatorum singulis  
 diebus comparere, ac vel præcipue Domino Lefortio operam suam atque officia, si qua in re deside-  
 rantur, prestare decuit; ita non tantum ea, quæ circa receptionem eorum in urbem, sed & quæ  
 reliquo tempore apud eos consigerunt, accurata diligentia observavit, atque hujusce narrationis  
 seriem inde contexuit; multis verbis indicans, quam grato animo Dominus Lefortius semper  
 agnovit honores, huic Legationi tributos; Quod quidem non in speciem tum ab eo factum, sed  
 ex interiore ejus conscientie sensu expromptum fuisse, Kniperus suis literis Moscua datis d. 16. Julij  
 confirmat: commemorando sibi compertum, principem Legationis perscripsisse ad suos Moscuam  
 Quod mirum in modum fuerit contentus splendidissimo illo comitatu, quo in urbe sit receptus, nec  
 non exquisita illa magnificentia, atque honoribus amplissimis, quæis toto commorationis sue tem-  
 pore a Rigensibus fuerit tractatus.

Tribuni ac reliqui militum Præfecti, quotquot in urbe aderant, suis quisque vicibus, ut  
 imperatum erat, aulam Legatorum frequentarunt, comis officii restandis causâ, ac ut tædia ipso-  
 rum, quibuscunque possent oblectamentis, fallerent. Ipse quoque, missis, qui de illorum valetudine  
 atque reliquo rerum statu comiter cognoscerent, officia mea iis quotidie deferenda curavi. Sed  
 quo minus ipse eos inviserem, aut in arcem ad epulas invitarem, obstabat vetus consuetudo Ante-  
 cessorum meorum, qui nullas Legationes, per has oras tendentes, aliâ, quam à me factum sit, ratio-  
 ne exceperent. Quæ quidem res mihi tanto magis nunc in imitationem trahenda videbatur, quod  
 hanc Legationem non ad S: m R: m Maj: tem, sed ad extraneos Principes missam fuisse constaret. Et  
 si vel maxime alia mihi mens fuisset circa hoc negocium, nec hæ rationes satis apud me valuis-  
 sent; ipsa tamen rei impossibilitas ex adversa valetudine, quæ totis prope modum quinque hebdomadibus  
 me in lecto detinuit, a proposito me retraxisset. Neque enim ob lætulum ex obitu filie mee hoc offi-  
 cium intermissum est, ut falso, ac vix citra calumniam, perhibent, quandoquidem iste casus, sexto de-  
 cimo die mensis Octobris 1698. adeoque post annum ac menses septem à Legatorum ad nos adven-  
 su accidit.

Cæterum quum ex mora, quam in hac urbe egerunt, aliqui licentiam sibi sume-  
 rent in urbe obsequiandi, atque e locis eminentioribus non modo situm ejus curatius contem-  
 plandi; verum etiam totam munitionum rationem in charta delineandi, explorandi; fossæ  
 altitudinem; consensu hinc inde munitionum summitatibus, cæterisque ad urbis tutelam ex-  
 structis operibus, ut rexius cuncta perlustrarent; officii mei esse duxi, a Domino Lefortio de-  
 center requirere, ut talia suis interdiceret, quandoquidem ipse rerum militarium longe  
 peretissimus ignorare non posset, nusquam in totâ Europâ; ubi aliqua loca sunt munita, ejus-  
 modi hospitum tentamenta permitti solere. Is solita sibi humanitate excepit hanc expos-  
 tulationem, comitterque excusavit quæ hætenus, se inscio, acta erant, pollicitus, se prohi-  
 biturum, ne quid simile in posterum committatur a frontis perfriçta Russis, erant propria  
 ejus verba. Atque hinc nata est improba illorum adversus nos querela, quasi eos sepisse-  
 mus tam arctâ custodia, ut omnis plane libertas domibus egrediendi fuerit ipsis adempta.  
 Quæ profecto hoc injustior censeretur, quod omnes, quotquot in hac urbe agunt, probi-  
 norint, suoque testimonio docere possint, illos non singulos, sed fere universos gregatim, om-  
 nes viccs urbis pervagos, mercatorum tabernas, opificum officinas atque enopolla omnia  
 libere, ac ut eos vel libido vel indigentia ferebat, frequentasse. De cætero insolenter ad-  
 modum ac præter omnem expectationem nostram, a Moscovicis commissariis jactatum est:

ob augustissimam magni Principis presentiam, utique exstantius aliquod honoris argumen-  
tum expromi debuisse. Nam cum intra societatem Legationis pœna capitis in ipsum dicta esset,  
qui presentiam Czari proderet, an non cogitare debebamus, sinistre admodum ab eodem  
acceptum iri, si qualicumq; signo exteriori palam faceremus, nos in aliquam istius secre-  
ti notitiam pervenisse? aut quomodo, quaso, nos deceret id ipsum detegere, quod isti tam  
solicite occultum ibant?

Grata atque accepta iis fuisse, quæ hætenus egeramus, vel id ipsum argumento  
esse potest, quod nullas omnino displicentia, aut animi nobis parum amici, notas toto eo  
tempore ostenderent, uti eas nec ostendere poterant, nisi prius omnem æquitatis humani-  
tatisque sensum plane exuissent. Verum cum ad postremum rerum, hic consumtarum ratio  
esset subducenda, solutioque præstanda, quædam affectati frigoris indicia sese prodiderunt.  
Qua quidem occasione quum nonnulli, qui hospitio eos exceperant, pretia rerum credita-  
rum ultra, quam Moscis æquum videbatur, extenderent, muneris mei auctoritatem ipsis  
commodari: reducto ad eam mediocritatem pretio, quæ utriq; paciscentiam æqua & to-  
lerabilis judicabatur. Atque ut S: a R: a Majestas cognoscat, quam omni prorsus funda-  
mento careat ipsorum criminatio, quæ nos arguunt ultra dimidium auxisse rerum venden-  
darum pretia, atque, dum hinc decederent, octoginta aureos poposcisse in compensatio-  
nem operæ, transportandis impedimentis ipsorum navata; mitto rationarium a magistra-  
tu civitatis ea de re, me requirente, confectum; una cum nominibus personarum, comi-  
tatum hunc sat numerosum constituentiam, Adjungo etiam librum memorialem, in quo  
accurate consignata sunt omnia ea, quæ in vicem locatarum ædium, præbitarumque can-  
delarum, atque aliarum rerum ad usum vitæ necessariorum, tanquam ex debito, sed ex  
mero beneplacito atque arbitrio Legatorum cuiq; civi soluta sunt. Equidem per conscien-  
tiam meam vel jurejurando affirmaverim, me nihil eorum omisisse, quæ ad studia mea,  
officiaque iis rite ac decenter declaranda facere novissem: utut sinistre admodum eadem  
nunc interpretari se deat. Caritas rerum ad victum necessariorum, è tenuissimo terra his  
in locis proventu orta, mihi utiq; imputari non poterat: siquidem non ipse minus, quam  
quidvis alius, istius incommoda sentire coactus fuerim.

Quoniam autem magnas querelas ex eo movent, quod discedentes parum decore navi-  
giorum apparatu transmissi fuerint per flumen Dunam; commemorare necessum habeo, quod ta-  
meti nulla ejusmodi in speciem aut pompam constructa navigia hic in usu sint, istum tamen dese-  
ctum quoddammodo supplere conatus fuerim, comparata in usum ipsorum Legatorum, ac honora-  
riorum è comitatu ministrorum, una celoce, rubri coloris panno instructa, atque regio a plustri deco-  
rata. Cui adjunctæ erant binæ aliæ, una cum triginta majusculis navigiis heic usitatis. Atq;  
ita cum omnia trajectui parata essent, triginta & duo tormenta aenea majora in honorem abeunti-  
um explosa sunt, ut vel inde appareat falsitas eorum, qui hunc transitum plus quam ignominiosum  
fingere aliisq; persuadere sustinuerunt. Huc accedit, quod duo currus, à Senatu urbis ad deducen-  
dos, ad fines territorii Ducis Curlandiæ, Legatos præmissi, in adversa fluminis ripa confisterent. Ac  
fuissem profecto longe plures una cum agmine equitum eodem missi in gratiam Legatorum, si in se-  
sto tunc maxime ac impedito Dunæ alveo obfluitantem glaciem, necessarius istis transvehendis  
numerus navigiorum haberi potuisset: quandoquidem ea omnia, quæ tunc ad manus erant, sarcinis  
Legatorum portandis vix sufficerent.

Ad hæc nullo jure mihi impingi potest culpa contractus, Moscos inter, qui cum  
equis suis e Curlandiæ redierant, atque cives aliquot, istis conditionibus initi, ut, pro sin-  
gulis equis non nisi decem solidi (copecas vocant) solverentur: siquidem res ista nullo modo  
ad me spectet, nec ego istius unquam conscius fuerim: sicuti nec veredarii ipsorum e Cur-  
landiæ remissi, quem Jacobum Scarousofs nominant. Sane istum hominem nunquam vel  
L  
visu

visu vel auditu cognitum habui. Quemadmodum etiam Mermannus, Rusorum hospes Riga, ac duo illic mercatores, ad quos litera e Moscovia venientes ut plurimum, deferuntur Hinsius & Oefkingus: nec non Jarmerstedius, inspectoris munere apud nos fungens, atque Gertius Granus, Tabellariorum magister, suis testimoniis probare poterunt, istum veredarium Riga nunquam fuisse, sed esse merum commentum Moscovitarum. Qua porro memorantur de saepius iterata missione ejusdem Surowoi ad Legatos, quae suspicionem mihi injecerit: fateor ea talia esse, quae meam scientiam plane fugiant, meque permoveant ad credendum, imo vero ad dicendum, ista sine ullo fundamento, aut veri specie consista esse: atque adeo indigna, quibus refellendis quantillum opera impendam. Ex hisce omnibus, S. a. R. a Majestas facile, uti spero, perspiciet non tantum innocentiam meam, sed etiam iniquissimas adversariorum criminationes; ac ea propter, ut mihi regio suo patrocinio clementer dignetur, etiam atque etiam contendo, sancte affirmans, sitanti fastigii Principem huc advenisse certo scivissem, me nunquam passurum fuisse, ullum devotissima mea erga illum pietatis atque obsequii documentum desiderari. Ast quod urbis circa limitem regni posita, munimentorumque fidei ac custodiae mea concreditorum, sollicitam curam gesserim, id gratiam ac commendationem potius, quam iram atque indignationem Czaricae Majestatis, tot operum militarium gloriae incluta, provocaturum existimaveram. Haec sunt, Rex Clementissime, quae per summam festinationem, ad eriminationes adversariorum diluendas, innocentiamque meam, declarandam, adornare potui. Dab. Riga 8. Martii, 1700.

Lit. R.

## Foedus Teufinense 1595. d. 10. Maji.

**S**i qui ab alterutra parte irrumpentes, caedibus, rapinis, incendiisve damna intulerint, aliisque maleficia commiserint, non idcirco pax interrupta censebitur, aut bello hac vindicare licebit: verum ejusmodi grassatores a praefectis utriusque Principis, qui ad limitem ei loco, in quo crimen patratum est, proximum convenient, inquirentur, atque debitum supplicium afficientur. Idem articulis 22. & 23. foederis Cardisiensis statuitur. Lit. S.

## Conventio Plysensis 1666. d. 12. Oct. Art. 4. §. 4.

**U**t commercia tanto melius exercentur, conventum est, ut utriusque magni Principis cives, qui causas habent de aliquo negotio conquerendi, vel ab aliis aliquid exigendi, potestatem habeant adeundi magistratum in urbibus, qui justitiam administrat, & praeterea praefectos ac gubernatores a parte S. a. R. a Majestatis senatores & gubernatores, a parte vero Cz. Majestatis senatores & gubernatores seu Voivodas compellere iis licebit, qui juxta acta & probata judicabunt, jus aequum reddent, atque absque ulla tergiversatione implorantibus operam suam commodabunt, ne in itineribus suis moram sentiant: atque hac omnia ad tenorem foederis Cardisiensis observabuntur. Lit. T.

## Libellus Moscoviae vulgaris die 18. Sept. 1700.

**I**nter omnes causas, quibus Czarica Majestas ad rumpendam cum Svecis pacem permota fuerat, hac vel praecipua est, quod Rex Sveciae externa quidem specie omnia officia amica tranquillaeque vicinitatis ei exhibuerit, atque ut de fide sua magis persuaderet, & Czarum quasi in soporem daret, legationem quoque solennem miserit, quae repetitam pactorum confirmationem in speciem urgeret: clanculum autem varias insidias ei machinatus sit, atque inter alia Regem Poloniae in Societatem invitaverit, ut conjunctis viribus Czarum aggredierentur. Glandestina quoque Svecorum machinationes effecerant, ut Constantinopoli pax Turcam inter & Moscum multis modis retardata fuerit. Ita Sveci ultimam Moscis moliti sunt perniciem. Cum igitur Rex Sveciae nullam justam de causa Czarum laceffisset, & simulatam amicitiam ipsum, totumque ejus imperium, potentissimis hostibus adversus eum concitatis, evertere atque pessundare fraudulenter cogitasset; non potuerit non Czarus coram universo orbe & Christianis maxime Principibus perfidiam hanc atque fraudem detegere, sperans divinis humanisque legibus justum ac conveniens iudicatum iri, ut Czarica Majestas imperii sui curam gerat, atque a Deo concessa sibi potestate utatur, illatoque bello abiscens nimirum

S. 12

Svecorum potentiam ita confringat, inq; eo statu collocet, ne perniciosas perfidasq; machinationes in posterum exsequi valeant. Atq; confidit fore, ut hoc propositum suum ab honestis omnibus, & studio partium vacuis, eò justius habeatur, quo magis notum est, provincias Careliam & Ingriam antiquitus magno ducatu Moscovia extra omnem controversiam subiectas fuisse, à Svecis verò, qui, juxta eorum symbolum, ex nupto vivunt, & omnes vicinos spoliaverant, sub initium hujus seculi, cum Moscovia internis dissidiis laboraret, occupatas atq; avulsas. Quo facto cum viam primum invenissent occupandi Livoniam, & bellum postea in Prussia, inde in Germaniam transferendi, maximam ex rebus gestis gloriam, summamq; famam consecuti sunt.

2. Cum regno Daniae Czarus ejusq; antecessores antiquo fœderis vinculo juncti sunt, quo ad auxilia ei ferenda, & injurias quaslibet, tanquam ipsis sibi factas, vindicandas obligantur. Itaq; quoniam Rex Sveciae Selandiam validâ manu invaserat, Metropoliq; absentis Regis infestatâ, & toto regno Daniae in ultimum discrimen coniecto, Regem non modo ad iniquam pacem cum Duce Holsatiae ineundam, sed etiam ad Regem Poloniae, amicum & socium, ab eadem excludendum adegerat, quo distractum à socio opprimendi major occasio esset; S: a Cz: a Majestas coram Deo & hominibus se adstrictam fatetur, ut injurias hæcæ fidißimis amicis sociisque illatas ulciscatur, & inita contra illos consilia infringat: Quo suam & federatorum securitatem armis necessariis aliquando stabiliat, confidens justissime causæ Deum adfore.

Lit. U.

Artic. 27. fœderis Cardis:

**C**um ex providentia divinâ contingat, ut alteruter magnorum Principum è vitâ migret, ille Princeps, qui in locum defuncti successerit, continuandæ æternæ pacis causâ ad superstitem mittet, suamq; amicitiam ita declarabit: hic quoq; magnus Princeps rursus per suos legatos alterum conveniet, & simili modo amicitiam suam benevolentiamq; declarabit, atq; ita ab utraq; parte perpetua hæc pax, missis utring; diplomatibus, confirmabitur ac stabilietur.

Lit. V.

Ex libello Moscici Legati supra citato d. 6. Octobris 1700.

**P**ost diuturnam vero expectationem illius responsi, his diebus à S: a Cz: Maj: te, clementissimo meo Domino, accepi mandatum, in quo mihi V: is C: is Dom: bus demonstrare jussit, quod S: a Cz: a Majestas, ob petitionem V: rum Dom: num, inter Danicam & Svecicam Coronas, incepta negotia se immiscere nolit; tantum ut satisfactio fiat ex parte Svecica in istis manifestis injuriis erga partem S: e Cz: e Majestatis maximè autem de e a Rige illatâ illius Cz: e persone de quibus ex mea propositione vestris D: bus omnimodo constat, ad quas injurias Svecici legati, qui fuerunt Moscovie, responderunt, quod certò certius illam notoriam injuriam ipsi persone S: e Cz: e Maj: tis Rige illatam, ad Regem Dominum istorum referre voluerint, ac putent, ut illi satisfiat.

Lit. X.

Artic. 9. fœderis Cardis:

**P**ariter magnus Dux S: a Cz: a Majestas, contra potentissimum Dominum, S: am R: am Maj: tem & Coronam Sveciae, atque provincias, quæ nunc ei subiectæ sunt, aut post hæc subijci possunt, nulli S: e R: e Majestatis hosti auxilium feret, aut pecuniam, militem, ullamq; aliam rem suppeditabit, neque cum illis in hunc finem fœdera junget. Nullos præterea hostes clam aut palam in Svecos immittet, concitabit, aut, ut immittantur concitenturq; assentiet. Neq; præterea S: a Cz: ca Maj: tas, ipsa, aut per alios, S: e R: e Maj: ti & provinciis regno Sveciae subiectis, imprimis Finlandia, Esthonia, Livonia, Carelia & Ingria, urbibusq; & territoriis ad illas pertinentibus, aut aliis Sveciæ provinciis, quocunq; veniant nomine, perniciem ullam aut detrimentum machinabitur; multo minus aliquam earum partem aut munimentum occupabit, aut queret illas subjugare atq; retinere, aut ullo modo, ullave occasione, illis damnum inferet, inferri patietur, aut ad id consentiet.

Lit. Y.

Literæ Ordinum magnæ Novogardiæ ad Carolum IX, Regem Sveciæ, anno 1611, d. 17. Augusti.

**N**os Domini magnæ Novogardiæ Ordines, utpote Metropolitæ, & Palatini reliqui, Knasii, Bajori, Præfecti, Aulici, Dapiferi, Tribuni, Patricii, Mercatores, Agricola omnes, qui sub magnæ Novogardiæ Ducatu continemur; Nos omnes capita nostra iuclinamus coram Magnitudine Tuâ.

Regiæ Tuæ Majestati satis cognitum erat, colluviem hominum rebellium partibus nequissimis Demetrii, qui se potentissimi Domini Czari ac Principis Johannis Basilidis, Demetrii Ivanovi, de Uglitz, filium vendidit, accessisse, auxiliariibusq; copiis à Sigismundo Rege Poloniae acceptis, sempe

Tempore Moscoviâ obsidione pressisse, multum sanguinem effudisse, templa Dei ac cœnobia profanasse, sanctorum loca ac statuas violasse, pagos & regiones devastasse, incultasq; reliquisse. Ea tempestate nimum imperium Moscoviæ, ac Volodimiria Basilius Ivanovitz Suischi tenebat, cumq; memoratus nequam Moscuam pervenisset, ibiq; spe dominij Moscovitici consequendi, Christianaq; eorum fidei evertenda se continuisset, misit magnus eorum Dux prædictus Suischi hinc consanguineum suum magnum Bajorum & Palatinum Knæstum Michaelē Basiliū Suischi Novogardiam, ut dominium illud tueretur, impelleretq; ut dominio Moscovitico opem ferret. Hæc Czari mandata Vasilvitz Suischi strenue est executus, & ego Metropolitæ cum Bajoris, ad Te, potentissime Rex, Carole, literas misimus, quibus auxilium tuum imploravimus. Tu precibus nostris commotus, religionis nostræ magnam curam gessisti; & ut nos ab extrema pernicie liberares, Jacobum Pontum de la Gardie supra armorum autoritate in Moscoviam cum magno exercitu misisti, qui cum Bajoro ac Palatino Knæsto Michaelē Vasilvitz Suischi, plurima Moscoviæ munimenta, oppida, & cœnobia occupaverat, eaq; ab hostili impetu tuitus est, multis in locis hostem prostigaverat, dominium Moscoviticum a Polonorum, Lithuanorum, & nequissimi istius hominis Demetrii obsidione liberaverat. Inde Jacobus Pontius Mosaiscum usq; Polonis & Lithuanis obviam processit, sed, proh dolor! propter delicta nostra factum, ut Russi & Sveci (Peregrini a Svecis mercede conducti) in medio pugna ardore animos amitterent, descenderentq; ad hostes. In patriam deinde Majestatis tuæ supremus dux rediit, hostis vero in malo suo proposito perseverans, undiq; victor volitabat. Quare, tum potentissimus Dominus Zarus, & totius Russicæ nationis summus Princeps se nullo modo Russos liberare posse cerneret, in cœnobia se contulit, formamq; angeli assumpsit. Quo factō, Moscovitici domini Bojari &c. a Sigismundo Rege Polonia petierunt, ut filium suum Vladislavum dominum ac magnum Ducem sibi permitteret; quod Stanislaus Zotkevius osculi S. Crucis firmavit. Rex vero Polonia pacta eluacens, filium suum in Russiam non misit, sed vi armata primariam eorum urbem Moscuam occupavit, magnamq; tyrannidem in ea exercuit, donec Moscovitæ cateriq; ordines impulsiverint, Regem Polonia, filium, omnemq; eorum posteritatem regno Moscovitico abdicare; nos quoq; cum illis unanimi consensu decrevimus, ipsis ut hostibus resistere, ac pro patriæ salute nec vite nec fortunis parcere. Literas præterea à Moscovitico dominio d. 2. Julij datas ac propriis manibus subscriptas, accepimus, quibus jubemur, hic Novogardia cum Re & Tæ Majestatis supremo duce tali modo transigere, ut nempe unum ex Re & Tæ Majestatis filiis nobis permittas, quem Zarum ac totius Russiæ, omniumq; ejus dominiorum Principem constituamus. Quamvis vero Zarnicius Palatinus, Basilius Ivanovitz Butterlin cum Majestatis Tuæ supremo duce sæpius de hoc egerint, negocium tamen hoc ad optatum finem perducere non potuit. Postremo, anno hoc 7119, die 10. Julij providentiâ Dei accidit, ut Majestatis Tuæ supremus dux Jacobus Pontius armis exterius munimentum civitatis Novogardie occuparet, cumque in molimine arcis expugnanda constitutus esset. Nos Novogardie ordines & cæterarum urbium cives de Christianorum salute cogitare capimus. Itaq; juramento & S. Crucis osculo Tibi, potentissime Rex, Carole, fidem nostram hac ratione firmavimus, ut Tu nempe, Rex potentissime, nos conservares, imperio protegeres, unumq; ex filiis, quem potissimum velles aut Gustavum Adolphum, aut Carolum Philippum, nobis in Zarum ac magnum Ducem omnium Russorum, Novogardieq; dominij offerres, cui etiam nos absq; dolo malo omnem fidem & obedientiam exhiberemus. Vice versa, Regiæ tuæ Majestatis supremus dux, tribuni, præfecti equitum & aulici, nomine totius Svecici exercitus, tacto S. Evangelio, cum nobis & coto Novogardia dominio conveniunt, ut Tu, Rex potentissime, nostri defensionem susciperes & alterum filiorum ad nos mitteres. Nos vicissim ab ipso impetravimus, ne aliam præter hanc Christianam religionem nobis obtruderet, nec pateretur, quemquam ob eam causam spoliari aut injusta nece affici, cum junctis potius cum reliquis Russis viribus, omni conatu rebelles & hostes, utpote Lithuanos & Polonos prostigare.

Interea Jacobo dicto audientes sumus, omniaq; apud nos rite geruntur, summam quoq; operam nobiscum dat, ut refractarias arcis, oppida & munimenta ad obsequium futuri Ducis redigantur. Missi denique sunt Legati, viri cujuscunque ordinis lectissimi & honoratissimi, qui de his transigerent, & ab Rege ipso pacta confirmari curarent. Actum Novogardie anno mundi 7119, die 27. Aug.

Lit. Z. Lit. Z.

Vid. Pauli Jovii liber de legatione Basiliæ, Magni Principis Moscoviæ, ad Clementem VII. Pontificem Romanum, excusus Francofurti, anno 1606.

FINIS.

~~Apollon et Mars~~ 72

H. Russ. 72.

Fragment of a label on the top right corner of the book cover.

Fragment of a label on the bottom right corner of the book cover.